Orationes Quotidianæ.

Oratio

Divi Gregorij privilegiata in capella Sancti
Andreæ Romæ aureis literis marmori
insiripta 30 diebus recitata feliciter mo[...]
privilegium habet.

Hodie fronti meæ impono sigillum ✝
signum victoriæ ✝ titullum triumphan-
tem ✝ Salvatoris nostri Regis gloriæ
Regis Judæorum filij Sanctissimæ Vir-
ginis Mariæ, qui pro nobis sub Pon-
tio Pilato crucifixus dignetur me hodier-
na die liberare ab omni perturbatione
mentis et corporis tum vexatione Dæmo-
num et nequam hominum à potestate
inimicorum visibilium et invisibilium
nec non ab omnibus maleficijs et a
omni pestifero cibo et potu, labore
angustia, passione et morte, verecun-
dia, confusione, à scandalis et periculis
mortis, ignis, et aquæ, à vitijs et ab omni
lapsu et minima læsione, ab incommodo
a subitanea et improvisa morte in vi-
te Dei Patris Omnipotentis ✝ et filij sui
et Spiritus ✝ Sancti Amen.

Oratio
Ad Sanctum cujus festum colitur vide folio 490 et.

Qui sequentem Orationem dixerint flexis genibus, lucrantur indulgentiam 10 annorum. Innocentius XI.

Precor te dulcissime Jesu Xte per merita vitæ, passionis, et mortis tuæ, Beatæ Virginis, et omnium Sanctorum, et propter quinque Sanctissima Vulnera tua, quæ in cruce pro me miserrimo peccatore pertulisti, dirige semper et hodie in omnibus momentis, horis et [illegible]is, animam et corpus meum, actus [illegible]gitationes et operationes et locutiones meas, in viam salutis, pacis, prosperitatis, in omni beneplacito tuo, et in omni gratiarum actione, et in omni opere bono, da mihi miserrimo peccatori, ne unquam valeam discedere de [illegible] vita sine vera pœnitentia, pura confessione, casto corpore, mundo corde, [illegible]tâ et Catholicâ Sacrosanctæ Eucharistiæ perceptione. Te Domine Jesu, qui solus potes salvare, da mihi per intercessionem Gloriosissimæ

Virginis Mariæ Matris tuæ dilectissi-
mæ, ore et opere exercere hæc, quæ tibi
placent, mihi expediant. Da mihi in
omni tribulatione auxilium, in omni
necessitate consilium, in omni prosper-
tate moderationem, remissionem peccat-
rum, et demum vitam et lætitiam sem-
piternam. Qui vivis et regnas etc.

Oratio contra vitia.

O Domine virtutum, te precor impensè
ut singulares virtutes tuæ medeantur
singularibus vitijs meis, ut tua humilit
meæ arrogantiæ, tua liberalitas meæ
avaritiæ, tua castitas meæ libidini, t
charitas meæ invidiæ, tua mansvetud
meæ iræ, tua temperantia meæ gu
tuus labor, meæ desidiæ, universæ vi
tutes tuæ universis peccatis meis
potes remedium conferant. Ad e
mum tibi supplico ô Amator animar
ut quidquid comisi, et in quocunque m
ad hoc ipsum momentum offendi ami
lem bonitatem et admirabilem Maj
tem tuam, id omne digneris tuo sep
chro inferre, et in æternum sepelire

ut in nova

ut in novam resurgens vitam, tibi so:
li perpetuo vivam, qui pro me perpe:
tuo in Cruce vixisti, et in cruce mor:
tuus es. Amen.

Oratio ad Dominum JESUM.

O Domine Jesu Christe, Fili Dei
Vivi, suscipe has orationes in amore
illo superexcellenti, in quo omnia Vul:
nera Sanctissimi corporis tui sustinu:
isti, et miserere famuli tui N.
omnibus peccatoribus, cunctisq fi:
delibq, tam vivis, qm defunctis, da mise:
ricordiam, gratiam, et remissionem
vitam æternam Amen.

Pater noster et Ave Maria.

Oratio
e singules Articulis Passionis.

...us, qui pro redemptione mundi vo:
luisti nasci, circumcidi, â Judeis re:
probari, â Juda traditore osculo tradi,
vinculis alligari, sicut Agnus innocens
victimam duci, atq conspectibus An:
nae, Caiphae, Pilati et Herodis indecen:
ter offerri, â falsis testibq accusari,
flagellis.

flagellis et oprobrijs vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, Cruci clavis affigi, in Crucem levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari, et lancea vulnerari. Tu Domine per has sanctissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam Crucem et mortem tuam, libera me a poenis inferni, et perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et

Oratio

Deus qui nos in Sancta Syndone, qua corpus tuum sacratissimum e Cruce depositum, a Joseph involutum fuit, passiones tuæ vestigia reliquisti, concede propitius, ut per mortem et sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre

Oratio.

Ad Sanctam Birgittam

O Birgitta Mater bona
Dulcis Ductrix et Patrona
nobis fer suffragia.
Naufragantes in hoc mari
Tuo Ductu salutari
Duc ad vitæ bravia.
O præclara tu dignare
Delictorum impetrare
Nobis â Christo veniam.
Ut possimus respirare
Et excessus emendare.
Consequi gratiam.
Confer vitæ Sanctitatem
Corpori da sanitatem
Et quieta tempora
Adde veram charitatem
Cordium da puritatem
Nos languentes robora
Vitæ nostræ rege cursum
post hanc vitam transfer sursum
Animas ad gaudia.
Ut Deum contemplari
Tibi quoque sociari
Possimus in gloria.
Ora pro nobis Beata Birgitta Sponsa
Christi prædilecta.
℟.

℟. Ut ad cœlestem Patriam sit ipsa nobis via recta.

Oremus.

Deus, qui Ecclesiam tuam per Beatam Birgittam sacris illuminare dignatus es consiliis et exemplis. Concede propitius ejus intercessione ut quæ pro nostris purgandis excessibus clementer ei revelasti devotis mentibus exequamur. Per Xtum

Hymnus

Ad B.V. tempore Pestis. vid fo 89. et:

Benedicat coelum et terram et omnia quæ in eis sunt, Deus in æternum, Benedicat mundus et omnia opera Domini Virginem Deiparam in secula. Amen

Clemens VIII recitantibus orationem sequentem concessit remissionem omnium commissorum sed omissorum in Missa, nec non 2300 annorum Indulgentia. Obsecro te Dulcissime Domine Jesu Christe, ut passio tua sit mihi virtus qua muniar

qua muniar atq; defendar, vulnera tua sint mihi cibq, potusq; quibq pascar, inebrier, atq; delecter, aspersio sanguinis tui sit mihi ablutio, omnium delictorum meorum, mors tua, sit mihi gloria sempiterna, in his mihi refectio, exultatio, sanitas, et dulcedo cordis mei. Qui vivis et regnas etc.

Oratio.

Salve Maria, Filia Dei Patris,
Salve Maria, Mater Dei Filij,
Salve Maria, Sponsa Spiritus Sancti,
Salve Maria, Deitatis Ecclesia,
Salve Maria, candidum lilium Sanctissima Trinitatis
Salve Maria, amabilis rosa Cælestium Incolarum.
Salve Maria, Virgo Virginum plena humilitate et dulcedine, de qua natus, et cum quarum le nutritq est Rex coelorum.
Salve Maria, Regina Martyrum cujus animam dolorum pertransivit gladius.
Salve Maria, Dominatrix terræ cujq omnis potestas data est in cœlis et terris.
Salve Maria, Regina cordis mei Mater vita dulcedo.

rita dulcedo spes nostra.
Salve Maria, Mater Amabilissima.
Salve Maria, gratia plena Dominus
tecum benedicta tu in Mulieribus et
Benedictus fructus Ventris tui JESUS.
Benedicetur Sponsus tuus S. Joseph.
Benedicet, Pater tuus S. Joachim,
Benedicet, Mater tua S. Anna,
Benedicet, Filius tuus S. Joannes,
Benedicet Angelus Custos tuus S. Gabriel.
Benedicet Deus Pater qui te elegit.
Benedicet Deus Filius qui te dilexit.
Benedicet Spiritus S. qui te desponsavit
omnes benedicentur diligentes et ho-
norantes, Benedic nos ô Maria cum
tuo dilecto Filio Jesu Xto Amen.

Benedictum Sanctissimum nomen
tuum et Gloriosissimæ matris tuæ
quæ te peperit mundo, factum fra-
trem nostrum.
Salve dulcis et formosa Mater
gloriosa adopta me in filium.
1 Credo 2 Spero 3 Amo 4 Doleo de pe-
O Regina poli miserum me sperne
noli, sed vultu læto, respice me Vir-
go Mater pete.

Precationes ad Sanctum Patriarcham Joachim.

Suscipe clementissime DEUS quas Majestati tuæ suppliciter deferrimus preces et præsta, ut intercedente Sancto Patriarcha Joachim cum Sancta Conjuge sua et Beatissima Prole perfectam consequi mereamur peccatorum remissionem et gloriam sempiternam.

[illegible]æsimus Omnipotens Deus, ut intercedentibus Beati Joachim Patris Genitricis [illegible]ecti Filij tui Domini Nostri Jesu [illegible]i meritis tuæ gratiæ in præsenti et [illegible]onæ gloriæ in futuro participes [illegible] mereamur. Per Dominum etc.

Gasper fert Myrrham ✝ Thus Melchior ✝ Balthazar [illegible]arum ✝ hæc si quis portave[illegible] [illegible]t liberetur ā morbo caduco.

Oratio

Oratio.
Ad B. V. Mariam sine labe conceptam.

Ave Filia DEI Patris, Ave Mater DEI
Filij, Ave Sponsa Spiritus Sancti! Im-
maculata sine labe Originali concepta
gratiarum plena Dei Mater, ante, in, et
post partum semper Virgo Maria! cuju
Nativitas salutis nostra extitit exordi
de cujus utero verbum Divinum nuntia
te Angelo carnem nostram suscipe
voluit. Tu es illa, ad cujus salutationem
exultavit Infans in utero Elisabeth
O benedicta inter mulieres, quæ sola m
ruisti conceptum virtute Altissimi Inn
natum Dei Filium in visceribus tuis con
clusum novem mensibus portare, et
ei mundo edere Salvatorem, teque a
Filio tuo, postquam impleti fuissent di
Purificationis, legi non subjectam, in
templo præsentare. Tu es illa, de cuju
cælum assumptione gaudent Angeli,
collaudent filium Dei, ô cæli Regina
ora pro nobis Deum, ut omnes qui
Immaculatam conceptionem tuam
publice profitemur, et sacra fest

devotè veneremur, à fame, peste, bello,
et cunctis malis præservemur, et
iberemur; auxilium tuum quoque
sentiamus in omnibus ~~xx~~ necessita:
tibus nostris, toties quoties invoca:
verimus tuum sanctum nomen
o Maria. Amen.

Per Virginitatem et Immacu
latam Conceptionem tuam o
urissima Virgo emunda cor
t carnem meam. In nomine
atris ✝ et Filij ✝ et Spiritus
ancti ✝ Amen.

Septem dolorum
afflicta Maria
Recordor tuorum
Doce me tria:
Ut DEUM meum
Et Te MARIAM
Proximum Meum
Amare sciam.

vide infra



S. Birgitta Fundatrix Ords. S. Salv.

S. BRIGITTA.

Quia mihi sic placuit, elegi te in Spiritum meum. 1. 2. Revel. cap. 16.

C.P.S.C.M. Mart. Engelbrecht exc. A.V.

INCENSUM
SELECTARUM PRECUM
ADOLENDUM
DEO OPTIMO MAX:
IN ARA CORDIS DEVOTI

IGNE CHARITATIS

IN ODOREM SUAVISSIMUM

DOMINO

PP. Camald. *Confectum* Insulae Vigren

EX VARIIS PIIS ET PRETIOSIS

AFFECTIBUS

ACTIBUSQUE VIRTUTUM.

EDITIO ALTERA.

BRUNSBERGÆ

TYPIS COLLEGII SOCIETATIS JESU

ANNO 1724.

Alius Angelus venit, & ſtetit ante Altare, habens thuribulum aureum, & data ſunt illi Incenſa multa: ut daret de Orationibus Sanctorum omnium, ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum DEi. Et aſcendit fumus Incenſorum de Orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Domino.

Apoc. 8. v. 3. & 4.

Ad Pium Oratorem.

Magna est felicitas nostra, PIE ORATOR, *quòd in magna egestate habeamus aliquid, quod offeramus DEO, Domino nostro, in gustum & odorem suavissimum, ad impetrandas ab ipso gratias, aliaq; dono necessaria. Incensum id est Sanctarum Precum, quo ipsum quàm maximè delectari docent Sacræ Literæ. Porrò sicut Incensum, ut suavius demulceat odoratum, componitur ex varijs rerum odoriferarum speciebus: ita Oratio nostra, ut gratior accidat Majestati Divinæ, componenda est ex varijs Pijs Intentionibus & Affectibus.*

Quo labore ut non graveris: serviet hicce Libellus, Selectarum Precum sufficientem copiam tibi exhibens. Illud tuarum partium erit: ut pretiosum hoc Incensum in ara mundi cordis, seu thuribulo aureo, offeras; & igne sinceræ charitatis erga DEum & proximum concremes. Sic ascendet Incensum tuum per manum Angeli in conspectum odoremq; suavissimum Domini: & descendet super te larga ejusdem misezratio & benedictio.

DE

DE ANNO ET EJUS PARTIBUS.

ANnus menses habet duodecim, hebdomadas duas, & quinquaginta, & diem unum; dies verò trecentos sexaginta quinque, & ferè sex horas, tanto enim temporis intervallo Sol Zodiacum perlustrat. Quater autem sex horæ, singulis quaternis annis diem constituunt: hinc annus ille intercalaris Bissextus, vel Bissextilis dicitur.

Dies cujusvis mensis.

Triginta Aprilis, Junius, Septēq; Novēq;
Uno plus alij: viginti Februus octo:
At si Bissextus fuerit, superadditur unus
Et tunc bis sexto Marti cōscribe Kalend.

Numerus Nonarum ac Iduum.

Sex Nonas Majus, October, Juli⁹ & Mars,
Quat. at reliqui, dabit Idus quilibet octo.

Quatuor Tempora.

QUatuor Tempora celebrantur quartâ & sextâ Feriâ, ac Sabbato post tertiam Dominicam Adventûs, post 1. Dominicam Quadragesimæ, post Domin. Pentecostes, post festū Exaltationis S. Crucis

TABELLA TEMPORARIA.

Anni Dom.	Lit. dom.	Septuagesima	Dies Cinerum.	Pascha.
1725	g	28. Ian.	14. Feb.	1. April.
1726	f	17. Feb.	6. Mart.	21. Apr.
1727	e	9. Feb.	26. Feb.	13. Apr.
1728	d c	25. Ian.	11. Feb.	28. Mar.
1729	b	13. Feb.	2. Mart.	17. Apr.
1730	A	5. Feb.	22. Febr.	9. Apr.
1731	g	21. Jan.	7. Febr.	25. Mar.
1732	f e	10. Feb.	27. Feb.	13. Apr.
1733	d	1. Febr.	18. Feb.	5. Apr.
1734	c	21. Febr.	10. Feb.	25. Apr.
1735	b	6. Febr.	23. Feb.	10. Apr.
1736	A g	29. Jan.	15. Feb.	1. Apr.
1737	f	17. Feb.	6. Mar.	21. Apr.
1738	e	2. Febr.	19. Feb.	6. Apr.
1739	d	25. Jan.	11. Feb.	29. Mar.
1740	c b	14. Feb.	3. Mar.	17. Apr.
1741	A	29. Jan.	15. Feb.	2. Apr.
1742	g	21. Jan.	7. Feb.	25. Mar.
1743	f	10. Feb.	27. Feb.	14. Apr.
1744	e d	2. Feb.	19. Feb.	5. Apr.
1745	c	14. Feb.	3. Mar.	18. Apr.

FESTORUM MOBILIUM.

Aſcen-ſio.	Penteco-ſtes.	Corpus Chriſti.	I. DOMIN. Advent.
10. Maji	20. Maji.	31. Maji.	2. Dec.
30. Maji	9. Junij.	20. Junij	1. Dec.
22. Maji	1. Jun.	12. Jun.	30. Nov.
6. Maji	16. Maji	27. Maji.	28. Nov.
26. Maji	5. Jun.	16. Jun.	27. Nov.
18. Maji	28. Maji	8. Jun.	3. Dec.
3. Maji	13. Maji.	24. Maji	2. Dec.
22. Maji	1. Jun.	12. Jun.	30. Nov.
14. Maji	24. Maji	4. Jun.	29. Nov.
13. Jun.	13. Jun.	24. Jun.	28 Nov.
19. Maji	29. Maji	9. Jun.	27. Nov.
10. Maji	20. Maji	31. Maji	2. Dec.
30. Maji	31. Maji	20 Jun.	1. Dec.
5. Maji	25. Maji	5. Jun.	30. Nov.
7. Maji	17. Maji.	28. Maji	29. Nov.
26. Maji	5. Jun.	16. Jun.	27. Nov.
11. Maji	21. Maji	1. Jun.	3. Dec.
3. Maji	13. Maji	24. Maji	2. Dec.
23. Maji	2. Jun.	13. Jun.	1. Dec.
14. Maji	24. Maji	4. Jun.	29. Nov.
27. Maji	6. Jun.	17. Jun.	28. Nov.

JANUARIUS.

HABET DIES XXXI. LUNA VERÒ 29

1 A CIRCUMCISIO DOMINI.
2 b Adelhardi Abb.
3 c Genovefæ Virg.
4 d Rigoberti Episc.
5 e Telesphori Pap. & M.
6 f EPIPHANIA DOMINI.
7 g Raymundi Confess.
8 A Laurentij Justin. Erhardi Episc.
9 b Juliani Mart.
10 c Martiani Confess.
11 d Hygini Pap. & M.
12 e Ernesti Episc.
13 f Godefridi Comitis.
14 g Hilarij Confess.
15 A Pauli primi Eremitæ.
16 b Marcelli Pap. & M.
17 c Antonij Abbat.
18 d Cathedra S. Petri Romæ.
19 e Marij, & Marthæ, conjug.
20 f Fabiani & Sebastiani MM.
21 g Agnetis V. & M. *Sol in Aquario.*
22 A Vincentij, & Anastasij MM.
23 b Joannis Eleemos. Episc.
24 c Timothei Episc. & M.
25 d Conversio S. Pauli Apost.

26 e Polycarpi Episc. & M.
27 f Joannis Chrysost. Episc. & Conf.
28 g Agnetis secundò, & Caroli magni.
29 A Constantii Episc. & M.
30 b Francisci de Sales Ep. Aldegundis V.
31 c Marcellæ Viduæ.

FEBRUARIUS.

HABET DIES XXVIII. LUNA VERÒ 30.

1 d Ignatii Episc. & M. S. Brigidæ V.
2 e PURIFICATIO B. MARIÆ V.
3 f Blasij Ep. & M S. Cornelij.
4 g Christiani Confess. Veronicæ Viduæ
5 A Agathæ V. & M. Trium MM. S. J.
6 b Dorotheæ V. & M. Amandi Episc.
7 c Romualdi Abb. Richardi Regis.
8 d Marinæ V. Scholasticæ V.
9 e Apolloniæ V. & M.
10 f Guilielmi Confess.
11 g Victoriæ V. & M.
12 A Antonij Episc. Eulaliæ V. & M.
13 b Jordani Conf. Tranquilli M.
14 c Valentini Presb. & M.
15 d Faustini & Jovitæ MM.
16 e Nicephori Mart. Julianæ V. & M.
17 f Sabini Episc. Juliani M.
18 g Simeonis Episc. M. Concordiæ.
19 A Conradi Placentini Confess.

20 b Eleutherij Episc. *Sol in piscibus.*
21 c Mauritij & Soc. MM. Eleonoræ V.
22 d Cathedra S. Petri Antioch.
23 e Nicolai Confess. *Vigilia.*
24 f MATHIÆ APOSTOLI.
25 g Victorini M. Tarasij Episc.
26 A Porphyrij Episc. Romani Abb.
27 b Athanasiæ.
28 c Lupicini, & Romani Confess.

MARTIUS,

HABET DIES XXXI. LUNA VERÒ 29.

1 d Schwiberti Episc.
2 e Simplicij Papæ.
3 f Kunegundis Augustæ V.
4 g CASIMIRI CONFESSORIS.
5 A Adriani M. & Friderici Confess.
6 b Coletæ V.
7 c Thomæ de Aquino.
8 d Philemonis M.
9 e Quadraginta MM. Franciscæ Vid. R.
10 f Quadrati M.
11 g Constantini Confess.
12 A Gregorij Pap. & Conf. Canonizat.
13 b Rosinæ V. (S. Ignat. & S. Xav. S. I.
14 c Petri Abbat.
15 d Longini M.
16 e Heriberti Episc.

17 f Gertrudis V. Patricij Episc. & Conf.
18 g Cyrilli Episc. Edvardi M.
19 A JOSEPHI SPONSI B. M. V.
20 b Joachimi Conf. Patris B. M. V.
21 c Benedicti Abb. *Sol in Ariete.*
22 d Catharinæ Suecæ V.
23 e Othonis Confess.
24 f Simeonis Trident. M. Gabriel, Ar.
25 g ANNUNCIATIO B. M. V.
26 A Ludgeri Episc.
27 b Ruperti Episc.
28 c Gunstrami Episc.
29 d Mechtildis V.
30 e Reguli Episc.
31 f Beniamini M. Balbinæ M.

APRILIS.

HABET DIES XXX. LUNA VERÒ 29.

1 g Hugonis Episc. Walerici Abb.
2 A Francisci de Paula Confess.
3 b Richardi Episc.
4 c Josephi Hermanni Confess.
5 d Vincentij Ferrerij Confess.
6 e Isidori Episc.
7 f Adalberti Confess.
8 g Dionysij Episc.
9 A Mariæ Ægyptiacæ.
10 b Macarij Patriarchæ.

11 c Leonis Pap. & Confeſſ.
12 d Julij Pap Alferici Abb.
13 e Hermenegildi M. Juſtini M.
14 f Tiburtij. Valerij & Maximi MM.
15 g Lidwinæ V.
16 A Caliſti M.
17 b Rudolphi M. Aniceti Pap. & M.
18 c Urſmarij Confeſſ.
19 d Antoniæ V. & M. Theodori M.
20 e Agnetis Politianæ V.
21 f Anſelmi Episc. *ol in Tauro.*
22 g Apollinis M. Soteris&Caji Soc. MM
23 A ADALBERTI EPISC. & MART.
24 b Georgij M.
25 c Marci Evang.
26 d Cleti & Marcellini PP. & MM.
27 e Anaſtaſij Pap. Sitæ V.
28 f Vitalis & Valeriæ conjug.
29 g Petri M.
30 A Catharinæ Senenſis V.

MAJUS.

HABET DIES XXXI. LUNA VERÒ 30.

1 b PHILIPPI & JACOBI APOST.
2 c Sigiſmundi M.
3 d INVENTIO S. CRUCIS.
4 e Monicæ Vid, Floriani M.
5 f Britonij Epiſc. Gothardi Epiſc.

6 g

6 g Joannis ante portam latinam.
7 A STANISLAI EPISCOPI M.
8 b Apparitio S. Michaëlis Archang:
9 c Gregorij Nazianzeni Episc. & M.
10 d Gordiani & Epimachi MM.
11 e Beatricis V.
12 f Pancratij V.
13 g Alexandri M.
14 A Victoris & Coronæ M: Bonifacij M.
15 b Isidori M.
16 c Ubaldi Episc. & Conf.
17 d Torpetis M.
18 e Erici Regis M.
19 f Pudentianæ V.
20 g Bernardini Senensis.
21 A Constantini Mag. Imp. & Helenæ.
22 b Juliæ M. (*Sol in Geminis.*
23 c Desiderij Episc.
24 d Joannæ Matronæ. Simeonis Stylit
25 e Urbani Pap. & M.
26 f Eleuterij Pap. & M.
27 g Joannis Pap. & M.
28 A Germani Episc. Paris.
29 b Theodosiæ M.
30 c Felicis Pap. & M.
31 d Petronillæ V.

JUNIUS.

HABET DIES XXX. LUNA VERÒ 29.

1 e Simeonis Episc.
2 f Erasmi Ep. Marcellini & Soc. MM.
3 g Clotildis Reginæ.
4 A Optati Episc Gualteri Confess.
5 b Bonifacij Episc. & M.
6 c Norberti Episc. & Confess.
7 d Roberti Abbat.
8 e Medardi Ep. & M. Victorini Conf.
9 f Primi & Feliciani MM.
10 g Onuphrij Erem.
11 A Barnabæ Apost.
12 b Basilidis & Soc. MM.
13 c Antonij de Padua. Ferdinandi Conf.
14 d Basilij Magni Episc. & Conf.
15 e Viti, Modesti, & Crescentiæ MM.
16 f Bartholdi Conf.
17 g Adolphi Episc.
18 A Marci & Marcelliani MM.
19 b Gervasij & Protasij MM.
20 c Silverij Pap. & M.
21 d Aloysij Confess. S. J. *Sol in Cancro.*
22 e Achatij M. Paulini Ep. & Conf.
23 f Sidoniæ V.
24 g NATIVITAS S. JOANNIS BAPT.
25 A Febroniæ V. & M. Gallicani M.

26 b Joannis, & Pauli MM.
27 c Ladislai Conf.
28 d Leonis Pap. & Conf.
29 e PETRI & PAULI APOST.
30 f Commemoratio S. Pauli Apost.

JULIUS.

HABET DIES XXXI. LUNA VERÒ 29.

1 g Eberhardi Episc.
2 A VISITATIO B. MARIÆ V.
3 b Heliodori Episc.
4 c Udalrici Episc. Procopij Abb.
5 d Wilhelmi Abb. Hyacinthi M.
6 e Godolevæ M.
7 f Wilibaldi Episc.
8 g Kiliani cum Soc. MM.
9 A Anatoliæ V. & M Lucretiæ V.
10 b 7. fratrum MM. cum S. Felicitate
11 c Pij Pap. & M. (matre.
12 d Naboris, & Felicis MM.
13 e Apollinaris Episc. & M.
14 f Bonaventuræ Ep. & Conf.
15 g Divisio Apostolorum.
16 A Fausti M. Vitaliani Episc.
17 b Alexij Conf.
18 c Symphorosæ cum 7. fil. MM.
19 d Arsenij Conf.
20 e Margarethæ V. & M. Eliæ Proph.

21 f.

21 f Danielis Proph. *Sol in Leone.*
22 g MARIÆ MAGDALENÆ.
23 A Apollinaris Episc. & M.
24 b Christinæ V. & M.
25 c JACOBI APOSTOLI.
26 d ANNÆ Matris B. V.
27 e Pantaleonis M.
28 f Innocentij Pap. M.
29 g Marthæ Virg.
30 A Abdon. & Senen. MM.
31 b Ignatij Loyolæ Conf. S. J. Fund.

AUGUSTUS.

HABET DIES XXXI. LUNA VERÒ 30.

1 c Petri ad vinc. & Machab. M. ac Fidei, Spei, Charitatis VV. & MM.
2 d Steph Pap. & M. Portiunculæ.
3 e Inventio S. Stephani Protom.
4 f Dominici Confess.
5 g Dedicatio S. Mariæ ad Nives.
6 A TRANSFIGURATIO DOMINI.
7 b Donati Episc. & M. Alberti Carm.
8 c Cyriaci & Soc. MM.
9 d Romani M. *Vigilia.*
10 e LAURENTII MART.
11 f Tiburtij & Susannæ MM.
12 g Claræ V.
13 A Hippolyti & Cassiani MM.

14 b Eusebij Confess. *Vigilia.*
15 c ASSUMPTIO B. MARIÆ V.
16 d Rochi & Hyacinthi Confess.
17 e Sibyllæ V.
18 f Helenæ matris Constantini Mag.
19 g Sebaldi Confess.
20 A Bernardi Abbat. Melliss.
21 b Anastasij M. & Fidelis M. *Sol in Virg.*
22 c Timothei & Soc. MM.
23 d Claudij M. *Vigilia.*
24 e BARTHOLOMÆI APOST.
25 f Ludovici Regis Franc. Conf.
26 g Zephyrini Pap. & M.
27 A Cæsarij Episc.
28 b Augustini Episc.
29 c Decollatio S. Joannis Bapt.
30 d Felicis & Adaucti MM. Sabinæ V.
31 e Paulini Episc.

SEPTEMBER.

HABET DIES XXX. LUNA VERÒ 29.

1 f Ægidij Abbatis.
2 g Jodoci Episc.
3 A Mansveti Episc. Alberti Conf.
4 b Rosæ V. Rosaliæ V.
5 c Victorini M. Eudoxij M.
6 d Magni Abb. Zachariæ Proph.
7 e Reginæ V. & M.

8 f NATIVITAS B. MARIÆ V.
9 g Gorgonij M.
10 A Nicolai de Tolentino Conf.
11 b Hyacinthi M. Patientis Episc.
12 c Guidonis Conf. & Tobiæ.
13 d Mauritij Episc.
14 e EXALTATIO S. CRUCIS.
15 f Hildegardis V. Nicomedis M.
16 g Ludmillæ Vid. M.
17 A Lamberti Episc.
18 b Thomæ à Villa nova.
19 c Constantiæ V. M. Januar. Ep. Soc. M.
20 d Eustachij & Soc. MM. *Vigilia.*
21 e MATTHÆI APOST. & EVANG.
22 f Mauritij & Soc. M. *Sol in Libra.*
23 g Teclæ V. & M. Lini Pap. M.
24 A Gerardi Ep. & M. Jonæ Prop.
25 b Cleophæ discipuli Christi.
26 c Cypriani & Justinæ MM.
27 d Cosmæ & Damiani MM.
28 e Wenceslai M.
29 f DEDICATIO S. MICHAELIS AR.
30 g Hieronymi Presb. Conf. & Eccl. D.

OCTOBER.

HABET DIES XXXI. LUNA VERÒ 30.

1 A Remigij Episc. Conf.
2 b Angeli Custod.

3 c Simplicij Conf.
4 d Francisci Conf.
5 e Placidi & Soc. MM.
6 f Brunonis Conf.
7 g Marci Pap. Conf.
8 A Brigittæ Viduæ Pelagiæ Pœnitent.
9 b Dionysij & Soc. MM.
10 c S. Francisci Borgiæ S. J.
11 d Jacobi Allemanni Conf.
12 e Maximiliani Episc.
13 f Colmanni M.
14 g Calisti Pap. M.
15 A Tereſiæ V. Hedvigis Duciſſæ.
16 b Galli Abbatis.
17 c Andreæ M. Petri Alcantaræ.
18 d Lucæ Evang.
19 e Ferdinandi Episc.
20 f Etbini Conf. *Sol in Scorpione.*
21 g Ursulæ & Soc. MM.
22 A Mariæ Solome. S. Benignæ V.
23 b Severini Episc.
24 c Crispini Conf.
25 d Arnoldi M.
26 e Demetrij M.
27 f Ivonis advoc. paup. *Vigilia.*
28 g SIMONIS & JUDÆ APOST.
29 A Narcissi Episc.

30 b Marcellini M.
31 c Wolfgangi Episc.

NOVEMBER.

HABET DIES XXX. LUNA VERÒ 29.

1 d OMNIUM SANCTORUM.
2 e Comemoratio omn. fid. defunct.
3 f Huberti Episc.
4 g Caroli Episc. & Conf.
5 A Emerici Confess.
6 b Leonardi Conf.
7 c Engelberti Episc.
8 d Godefridi M. 4. Coronatorum.
9 e Dedicatio Basilicæ Salvatoris
10 f Triphonis & Soc. MM.
11 g MARTINI EPISC. & CONFES.
12 A Martini Pap. & M.
13 b Stanislai Kostkæ S. J. Homoboni.
14 c Serapionis.
15 d Leopoldi Conf. Arch. Aust.
16 e Edmundi Episc.
17 f Gregorij Thaumat. Ep & Conf.
18 g Dedicatio Basilicæ Petri & Pauli.
19 A ELISABETH VID.
20 b Corbiniani Episc. *Sol in Sagittario*
21 c Præsentatio B. M. V.
22 d Cæciliæ V. & M. Alphonsi Regis.
23 e Clementis Pap. & M.

24 f Chrysogoni M.
25 g CATHARINÆ V. M.
26 A Conradi Episc.
27 b Facundi M.
28 c Barlaam & Josaphat Confess.
29 d Saturnini M. *Vigilia.*
30 e ANDREÆ APOST.

DECEMBER.

HABET DIES XXXI. LUNA VERÒ 30

1 f Eligij Episc.
2 g Bibianæ V. & M.
3 A Francisci Xaverij Conf. S. J.
4 b Barbaræ V. & M.
5 c Placidi M. Sabbæ Abb.
6 d NICOLAI EPISC. & CONF.
7 e Ambrosij Ep. Conf. & Eccl. Doct.
8 f CONCEPTIO B. MARIÆ V.
9 g Leocadiæ V. & M.
10 A Judithæ
11 b Damasi Pap. & Conf.
12 c Everardi Conf.
13 d Luciæ V. M.
14 e Eusebij Episc. & M.
15 f Valeriani Episc.
16 g Ananiæ, Azariæ, Misaëlis.
17 A Lazari Conf.
18 b Gratiani Episc. Modesti Episc.

19 c Nemeſij M.
20 d Chriſtiani Ep. Theophili mil. *Vig.*
21 e THOMÆ APOST.
22 f Anaſtaſiæ M. *Sol in Capricorno.*
23 g Victoriæ V. & M.
24 A Adam & Evæ.
25 b NATIVITAS D. N. I. C.
26 c STEPHANI PROTOM.
27 d JOANNIS APOST. & EVANG.
28 e Innocentium MM.
29 f Thomæ Epiſc.
30 g David. Regis. Thomæ Cant. Ep. M.
31 A Silveſtri Pap. Columbæ Virg.

IN-

INDEX.

Pij

PARS

PARS PRIMA.

Exercitium Matutinum, Diurnum & Vespertinum.

EXERCITIUM MATUTINUM.

E somno excitatus, exclusis omnibus otiosis cogitationibus, Crucis signo te muniens, dices:

In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, Amen.

Per signum Crucis de inimicis nostris, libera nos DEus noster.

Psalmus 116.

LAudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde mente aut verbis offeres DEo pri-

 mum

mum hunc surgendi actum, dicens:

DOmine JEsu Christe, ego volo surgere ad laudandum & amandum te, tibiq; serviendum; quem etiam nunc ex toto corde amo, laudo, & benedico, intende mihi, & adjuva me.

Inter surgendum dices:

Spiritûs Sancti gratia, illuminet sensus & corda nostra.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum & terram.

In nomine Domini JEsu Christi surgo, ille me benedicat, regat, custodiat, & ad vitam perducat æternam. Amen.

BEnedicta sit Sancta Trinitas, atque indivisa Unitas, confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

MARIA Mater gratiæ,
Mater misericordiæ:
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis horâ suscipe.

ANgele DEi, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hodie illumina, instrue, custodi, rege, & guberna. Amen.

Vesti-

Vestitus & lotus conferes te ad locum orationis: & præstabis quinq; comprehensa hoc versu

Lauda, Offer, Memora, Supplex Propone, Satisfac.

I. Lauda DEum, gratias Divinæ ejus Majestati agendo pro omnibus beneficiis, potissimum pro illius noctis custodia, sic v. g.

ADoro te superbenedicta Trinitas, & gloriosa Unitas Pater, Fili, Spiritus Sancte, Unus Deus. Amo te, laudo te, tibiq; gratias ago pro universis beneficiis tuis, omnibus diebus vitæ meæ, potissimùm verò hac nocte mihi concessis.

Christus monuit S. Mechtildē: ut manè surgendo, salutaret primùm Cor suū, deinde proprium sibi offerret. Sic ergo cum ipsa orabis:

ADoro, laudo, & saluto Te dulcissimum ac Divinum Cor Domini mei JEsu, ex quo tanquam ex mellifluo gratiarum fonte omne bonum, omnisq; dulcedo effluxit, & effluit. Ex totis cordis mei viribus ago tibi gratias: quod me hac nocte custodieris, DEoq; Patri pro me laudes & gratiarum a-

ctiones persolveris. Et nunc, ô dulcis Amor meus, offero tibi miserum & indignum Cor meum in sacrificium Matutinum: & omni qua possim devotione, includo & commendo illud dulcissimo Cordi tuo, rogans: ut divinas tuas influxiones illi infundere, atque sancto tuo amore accendere digneris, A.

2. *Offer DEo te, tuaq; omnia, & pete gratiam, ut quidquid tota die facturus es, facias secundùm divinam voluntatem & beneplacitum ejus. v. g.*

Te sic offeres.

ECce ô gloriosa Trinitas, ego N. hanc diem aggredior, & in ea offero me totum in odorem svavitatis: offero animam meam, cum omnibus viribus suis, offero cor meum, ut tibi semper serviat, te amet, & revereatur: offero voluntatem meam, fac de me quod placet. Dignare DEus meus hanc oblationem acceptare, & ne relinquas me in me, ut sim totus in te, Amen.

Tua omnia sic offeres.

O Bone JEsu, omnes & singulas hujus diei actiones, ex intimo amore

. Tui, offero Tibi ad laudem & gloriam nominis tui & gloriosissimæ Humanitatis tuæ JEsu mi, ad laudem Beatissimæ Matris tuæ, in honorem S. Michaëlis Archangeli, S. Angeli Custodis, SS. omnium ac præcipuè Patronorum, & S. Patroni mei N. hoc mense mihi concessi. Cedant omnia opera mea ad salutem animæ meæ, securum vitæ statum, ac felicem mortem obtinendam. A tua demum immensa bonitate per sangvinem tuum pretiosissimum peto suppliciter, ut ad obsequium Tibi in omnibus operibus meis exhibendum gratiam mihi uberem largaris, Amen.

3. *Memora, Revoca tibi in mentem defectus, ad quos te magis propensum in examine hesterno & aliàs observâsti.*

4. *Supplex propone, seriam in omnibus vitijs, quæ in te observâsti emendationem, cum ardentissima Divinæ opis imploratione, & tui ac tuorum in manus Divinas commendatione. Hic valet illa pia protestatio coram DEo frequentiùs facienda.*

SI quidquam ô mi DEus, cogitavero, dixero, fecero, per imprudentiam,

quod divino beneplacito tuo repugnet; coram Te Domine, totaq; Curia cælesti proteſtor, id præter & contra meam voluntatem fieri; ſi aliter accidet, miſerere mei Domine, & errantem illicò revoca, cadentem ſubleva, & ne id contingat, per bonitatem tuam rogo te miſericordiſſime DEus, ut benedictione tua me prævenire, & tanquam rem tuam poſſidere, & regere digneris. Unicè velim mi DEus, quod tu vis & quod tu non vis, & ego unicè nolim Hæc mea unica ſit voluntas, voluntatis tuæ beneplacitum quærere, ac facere in omnibus.

Si quid Domine à te petam, ne largiaris petenti, quod honori tuo derogat, quod Tuæ voluntati repugnat. Scio ô bonitas, ſcio id ſolum mihi obeſſe, quod tibi non placet.

Ergo Te per Sacratiſſimæ Virginis Mariæ merita, Angelorum & Sanctorum tuorum vota oro, da mihi odium mei, & tui in omnibus amorem.

Formula mancipandi ſe B. V.

SAncta MARIA Mater DEi & Virgo, Ego

Ego N. te hodie in Dominam Patronam & Advocatam eligo, firmiterque ſtatuo ac propono me nunquam Te derelicturum, neque permiſſurum, ut à meis ſubditis aliquid contra tuum honorem unquam agatur. Obſecro Te igitur ſuſcipe me in ſervum perpetuum, adſis mihi in actionibus meis, nec me deſeras in hora mortis. Amen.

Via ſui commendatio.

O Benigniſſima Mater, & ſingularis Advocata, S. Angele Cuſtos & omnes Sancti, commendo me vobis hodie, & omnia iſtius diei exercitia cogitationes, verba & opera. Adjuvate, cuſtodite, auxilia & bona neceſſaria impetrate, à vitio N (in quod maximè propenſus ſum & omni peccato) præſervate, atque in hora mortis mihi aſſiſtite. Amen.

P . . commendatio aliorum.

BEnigniſſime DEus, commendo Tibi Eccleſiam Catholicam, Regnum hoc ac locum; commendo Fideles omnes, Vivos ac Defunctos, præſertim meos Parentes, Fratres, Sorores, Amicos, Benefa-

nefactores; & alios, pro quibus orare teneor, & in particulari, N. pro quo tuam semper supplex deprecor Majestatem.

Commendo deniq; humillimè, & ardentissimè, Bonitati & Misericordiæ tuæ infinitæ omnes in peccato mortali, & ultimo vitæ agone existentes: ut ipsos efficaci gratiâ ad Te convertas, & ab æterna damnatione clementer eripias; Animabus verò fidelium Defunctorum, præsertim quibus obligatus sum, & quæ ab omnibus neglectæ sunt, requiem æternam quàm primùm donare digneris. In hunc finem offero Majestati tuæ omnes meas hujus diei, imò totius vitæ meæ actiones bonas, verba & cogitationes. Suscipe eas in unione infinitorum meritorum Filij tui, Salvatoris nostri, & miserere mei, Amē.

℣. Dignare Domine die isto.

℟. Sine peccato nos custodire.

V. Miserere nostri Domine.

℟. Miserere nostri.

V. Fiat misericordia tua Domine super nos.

R. Quemadmodum speravimus in te.

V.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

DOmine DEus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti, tuâ nos hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam, nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera. Per Christum Dominum nostrum. Amẽ.

DIrigere & sanctificare, regere & gubernare dignare, Domine DEus Rex cæli & terræ; hodie corda & corpora nostra, sensus, sermones & actus nostros, in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum, ut hic & in æternum te auxiliante salvi & liberi esse mereamur Salvator mundi. Qui vivis & regnas &c.

SAncta MARIA, & omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo adjuvari. Qui vivis & regnas in unitate Spiritûs S. DEus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

5. SATISFAC Legi S. Congregationis (si Sodalis sis) ter Pater & Ave, ac

Symbolum Apostolicum cum Salve Regina, recitando. Subjunges hic Salutationem Angelicam.

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ

℟. Et concepit de Spiritu Sancto.

Ave MARIA, &c.

V. Ecce Ancilla Domini.

R. Fiat mihi secundùm verbum tuum.

Ave MARIA, &c.

V. Et Verbum Caro factum est.

R. Et habitavit in nobis.

Ave MARIA, &c.

ORATIO.

GRatiam tuam quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nuntiante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per passionem ejus & Crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundē &c. A.

V. Divinum auxilium

R. Maneat semper nobiscum.

V. Nos cum prole pia.

R. Benedicat Virgo MARIA.

Pactum cum Deo

OMnipotens & Amabilissime Deus, ex amore ac desiderio te hac tota die lau-

laudandi, sanctifico, dedico, & consecro tibi omnes pulsus & motus cordis mei, & omnium arteriarum mearum: hocq; pactum tecum ineo; ut omnes eorum motus idem significent, quod hæc verba Seraphica: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Volo enim omnium Seraphinorum corde & ore amare, & laudare diu noctuq; Te Dominũ & Deum meum super omnia amabilem & laudabilem in sæcula sæculorum. Fiat! Fiat!

EXERCITIUM DIURNUM.

Quo Dies, & Actiones per diem occurrentes, piè ac meritoriè peragantur.

I.

INprimis Intentio pia præmittenda est, præsertim ante eas actiones, quæ per se non ordinantur ad DEi cultum & laudem: ut sunt laborare, studere, recreare se, comedere, bibere, dormire & similes. Ne igitur hujusmodi actiones fiant, & transeant absq; fructu Spirituali: mens elevanda est ante illas ad DEum, & dicendũ ore, vel animo tantùm:

Ad Majorem DEi Gloriam.

Vel

Vel, Propter te DEus.

Vel, Amore tui, mi JEſu. &c.

Quæ Intentio quò frequentiùs & ardentiùs inter agendum fuerit renovata, eò magis meritoria apud DEum eſt actio. Ne autem hujuſmodi Intentionis obliti, privemur fructu actionis: juvat primo manè brevem hanc Eccleſiæ orationem præmittere, & aliquoties per diem repetere.

ACtiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere: ut cuncta noſtra Oratio & operatio à Te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur, Amen.

II.

Pia Suſpiria in occaſionibus, ex S. Scripturis deſumpta.

Dum te veſtis, dicere potes.

INdue me Domine viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam; ſuper omnia autem hæc Charitatem. *Coloſſ.* 3.

Dum faciem ablui.

Ampliùs lava me Domine, & à peccato meo munda me. *Pſal.* 50.

Dum

Dum caput pectis.

Iniquitates meæ multiplicatæ sunt super capillos capitis mei. Complaceat tibi Domine, ut eruas me: Domine ad adjuvandum me respice. *Psal.* 39.

Dum cubiculo, vel domo, egrederis.

Gressus meos dirige, Domine, secundùm eloquium tuum: ut non dominetur mei omnis iniquitas. *Psal.* 113.

In ingressu Cœmiterij.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. Requiescant in pace, Amen.

Dum tendis ad Ecclesiam.

Introibo in domum tuam Domine: adorabo ad templum Sanctum tuum in timore tuo. *Psal* 5.

Ante Concionem.

Loquere Domine: quia audit servus tuus. 1. *Reg.* 3. Veni Sancte Spiritus &c.

Ante Sacrificium Missæ.

Eamus, & sacrificemus DEo nostro. *Exod.* 5.

In aspersione Aquæ lustralis.

Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor. *Psal.* 50.

In

In Visitatione Ven: Sacramenti.

VEnite adoremus, & procidamus ante DEum: ploremus coram Domino, qui fecit nos. *Psal.* 94. Dominus meus & DEus meus! Te supplex adoro, in Te credo, in Te spero, Te amo, & amabo super omnia.

Ad sonum horologij.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.
Ave Maria gratia plena Domin⁹ tecũ&c
Requiescant in pace.

Dum tonitru auditur.

Intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam. *Psal.* 17.

In Tentatione.

DEus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina. *Psal.* 69. MARIA Mater gratiæ, tu nos ab hoste protege.

In Adversitate

Justus es Domine, & rectum judicium tuum! *Psal.* 118. Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. *Matth.* 6. Si bona suscepimus de manu DEi, mala quare non suscipimus. *Iob.* 2.

In prosperitate.

Bene-

Benedic anima mea Domino: & noli oblivisci omnes retributiones ejus. *Psal.* 102.

In morbo.

Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum *Iob.* 1

In ultimo agone.

DEus propitius esto mihi peccatori. *Luc.* 18 In manus tuas Domine, commendo spiritum meum. *Luc* 13,

III.

Benedictio Mensæ.

OCuli omnium in te sperant Domine: & tu das illis escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Gloria Patri, &c. Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. Pater noster &c. Benedic Domine nos & hæc tua dona, quæ de tua largitate sumus sumpturi. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Gratiarum actio post mensam.

AGimus tibi gratias Omnipotens Deus, pro universis beneficijs tuis; qui vivis & regnas in sæcula sæculo-

rum

rum, Amen. Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. Pater noster &c.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc, nunc & usq; in sæculum.
Retribuere dignare Domine, omnibus nobis bona facientibus, propter nomen tuum vitam æternam, Amen.

Ante studia Literarum.

Veni Sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium.

Oratio utilissima S. Thomæ Aquinatis.

CReator ineffabilis, qui de thesauris sapientiæ tuæ, tres Angelorum Hierarchias annotâsti, & eas suprà cælum empyreum miro ordine collocâsti, atq; elegantissimè partes universi distribuisti, Tu inquam, qui verus fons luminis, & sapientiæ dìceris, atq; supereminens principium, infundere digneris super intellectus mei tenebras tuæ radium claritatis, duplices, in quibus natus sum, à me removens tenebras, peccatum scilicet, & ignorantiam. Qui lingvas infantium facis esse disertas, lingvam meam erudias, atq; in labijs meis gratiam tuæ benedictionis infundas.

das. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatem, adiſcendi facilitatem, loquendi gratiam copioſam: ingreſſum inſtruas, progreſſum dirigas, egreſſum compleas. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oratio alia S. Thomæ Aquinatis: quam quotidie flexis genibus recitabat.

CОncede mihi miſericors DEus, quæ tibi placita ſunt ardenter concupiſcere, prudenter inveſtigare, veraciter agnoſcere, & perfectè adimplere, ad laudem, & gloriam nominis tui. Ordina ſtatum meum, & quod à me requiris ut faciam, tribue ut ſciam, & da exequi, ſicut oportet, & expedit animæ meæ. Da mihi Domine DEus meus, inter proſpera & adverſa non deficere, ut in illis non extollar, in iſtis non deprimar, de nullo gaudeam, vel doleam, niſi quod ducat ad te, vel abducat à te. Nulli placere appetam, vel diſplicere timeam, niſi tibi. Vileſcant mihi Domine omnia tranſitoria, & chara mihi ſint omnia tua,

propter te, & tu DEus meus præter omnia. Tædeat me gaudii, quod eſt ſine te, ne aliquid cupiam, quod eſt extra te. Delectet me Domine labor, qui eſt pro te, & tædioſa ſit mihi omnis quies, quæ eſt ſinè te. Frequenter da mihi Domine cor ad te dirigere, & in defectione mea, cum emendationis propoſito dolendo penſare. Fac me Domine DEus obedientem ſinè contradictione, pauperem ſinè murmuratione, caſtum ſinè corruptione, patientem ſinè abjectione, humilem ſinè fictione, hilarem ſinè diſſolutione, triſtem ſinè dejectione maturum ſinè gravitate, agilem ſinè levitate, timentem ſinè deſperatione, veracem ſinè duplicitate, operantem bona ſinè præſumptione, proximum corrigere ſinè elatione, ipſum ædificare verbo & exemplo ſinè ſimulatione. Da mihi Domine cor pervigil, quod nulla abducat à te curioſa cogitatio: da nobile, quod nulla deorſum trahat indigna affectio, da rectum, quod nulla deorſum obliquet ſiniſtra intentio: da invictum,

quod

quod nulla frangat tribulatio: da liberum, quod nullà sibi vendicet perversa, & violenta affectio. Largire mihi Domine DEus meus intellectum te cognoscentem, diligentiam te quærentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te fideliter expectantem, & fiduciam te finaliter amplectentem, tuis beneficijs uti in via per gratiam, & tandem tuis gaudiis in Patria perfrui per gloriam. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis & regnas DEus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IV.

ORATIONES IACVLATORIÆ *cuivis tempori servientes.*

EJaculatoriæ Orationes, sunt breves quædam, & fervidæ mentis in Deum elevationes, quarum usus perutilis est ad promovendam devotionem, modò voci non desit cor. Possunt autẽ esse hæ, vel similes quas pia anima adinvenerit:

1. Benedictus DEus in æternum.
2. DEus meus & Omnia.

3. Pa-

3. Paratum cor meum DEus, paratum cor meum.
4. O JEſu mi dulciſſime, ſpes ſuſpirantis animæ.
5. Amor meus, JEſus meus.
6. Miſerere mei DEus, miſerere mei.
7. Diligam te Domine, fortitudo mea.
8. Amo te DEus meus, amor meus.
9. Serò te amavi, pulchritudo tam antiqua, & tam nova, ſerò te amavi.
10. Mihi adhærere DEo bonum eſt, & ponere in Domino DEo ſpem meam.
11. Tota ſpes mea Domine, non niſi in valdè magna miſericordia tua, da quod jubes, & jube quod vis.
12. Amor, qui ſemper ardes, & nunquam extingveris, Charitas, DEus meus, accende me.
13. Domine JEſu Chriſte, amem te ſolum propter te, & nihil amem niſi te.
14. Adauge JEſu mi laborem, & dolorem, modo augeas & amorem.
15. MARIA Mater gratiæ, Mater miſericordiæ: Tu nos ab hoſte protege, Et horâ mortis ſuſcipe.
16. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo

MARIA.

17. Domina mea es, en ego servus tuus, Mater es, ecce filius tuus.

18. JESUS & MARIA, mei dulcissimi amores: patiar ego, moriar ego amore vestri, totus sim vester, nullus meus &c.

V.

Expositio affectuosa Orationis Dominicæ, & salutationis Angelicæ.

Præfatiuncula. PATER NOSTER amantissime, qui tua nos bonitate ex nihilo ad imaginem & similitudinem tuam creâsti: lapsosq; ab æterna damnatione per unigenitum tuum redemisti, & in filios adoptionis assumere dignatus es: qui nos plùs quàm paterno affectu in hunc usq; diem prosequeris. Utinam te Patrem ita amemus, & colamus, ut verè tui filij appellari mereamur.

QUI ES IN CÆLIS, secundùm gloriam & magnificentiam tuam: ubi millia millium Angelorum tibi ministrant; & decies millies centena millia tibi assistunt. At nos exules filij tui in hac lacryma-

rum valle errabundi vagamur, & ad te clamamus gementes & flentes: Eja ergo Pater noster, qui es in cælis, vota & desideria tuorum filiorum clementer exaudi, & corda nostra ad te sursum trahe, ut conversatio nostra apud te sit in cælis.

1. *Petitio* SANCTIFICETUR (quod unicè optamus) NOMEN TUUM in nobis, quod in se sanctum & gloriosum est, gratiamq; largire, ut omni loco, & tempore illud agnoscamus, veneremur, & celebremus; à Solis enim ortu usq; ad occasum laudabile nomen Domini.

2. ADVENIAT in corda & animos nostros, REGNUM TUUM, procul indè pulsis carne, mundo, & diabolo. Regnum hoc tuum gratiæ est, per puod ad gloriæ tuæ Regnum transire anhelamus.

3. FIAT VOLUNTAS TUA, quâ nihil sanctius, nihil optabilius excogitari potest, SICUT IN CÆLO inter Angelos & electos tuos, cum summo omnium gaudio & complacentia; ita ET IN TERRA inter homines cum perfectissima resignatione tam in adversis, quàm pro-

speris

ſperis, tam in triſtibus, quàm lætis. Diſpereat quicquid tuæ voluntati adverſatur.

4. PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM non illum ſolùm quo corpus alitur, ſed & illum, quo anima paſcitur, videlicet Verbum tuum vivificum, & Panem Angelorum DA NOBIS HODIE; Reſpice, ô Pater, paupertatem tuorum filiorum, nec ullo die illius inopia nos premat.

5. ET DIMITTE NOBIS, benigniſſime Pater, immenſa DEBITA NOSTRA, plurimis, graviſſimisq; peccatis & negligentiis noſtris contracta, quibus neq; nos, neq; ulla creatura ſolvendis ſufficit. Quamobrem infinitam miſericordiam tuam pro illorum remiſſione ſupplices imploramus, ut illa nobis dimittas: SICUT ET NOS viciſſim DIMITTIMUS amore tui DEBITORIBUS NOSTRIS, à quibus unquam læſi ſumus Tu clementiſſime Pater, reluctantem cordis noſtri duritiem & acerbitatem emolli, ut omnes in ſancto charitatis tuæ Spiritu arctiſſimè conjungamur.

6. ET NE NOS fragila vaſa INDUCAS

IN TENTATIONEM, cui facilè succumberemus. Blanditur caro, solicitat mundus, impugnat diabolus: à te Pater, nos conantur abstrahere. Tu solus refugium nostrum, & virtus: ne obsecro patiaris tentari nos supra id, quod possumus.

7. SED LIBERA NOS à MALO, tum animæ, tum corporis, cujus non est numerus. Imprimis verò libera nos à malo culpæ, quo tu DEus, summum bonum nostrum offenderis. Libera nos quoque, (si ad tuam gloriam, nostramq; salutem cedat) è malo pœnæ, nimirum tristitia, ignominia, bello, fame, morbo, egestate, & quicquid ejusmodi peccata nostra merentur; eorumq; nos tandem consortio adscribe; qui te summo bono æternùm in cælo perfruuntur. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram, DEus cordis mei, & pars mea DEus in æternum.

AMEN, hoc est, fiat ô Pater, quod petimus, per viscera misericordiæ tuæ, per merita Filij tui, per amorem Spiritûs Sancti.

SALUTATIONIS ANGELICÆ Paraphrasis.

AVE, gaude, & lætare, ô cælorum Regina, terrarum Domina MARIA. O lætum diuq; exoptatum AVE! per quod Eva inversa est: hæc maledictionem ipsamq; mortem; tuum AVE, ô MARIA, benedictionem, vitamq; mundo sempiternam invexit.

GRATIA PLENA, in quam incensum gratiarum mare se totum effudit. O gratiæ effluentia! quæ cælis gloriam, terris DEum, salutem attulit hominibus. Fac ô Mater gratiæ, ut gratiæ tuæ abundantia in cor meum redundet.

DOMINUS TECUM, quali modo cum nullo unquam hominum, aut Angelorum fuit. Pater cælestis tecum est, qui Filium SUUM facit, & TUUM: Filius tecum est, qui virgineam tuam carnem æterno sibi vinculo conjungit: Spiritus Sanctus tecum est, qui cum Patre & Filio tuum sanctificat uterum. Tuâ, ô Maria, intercessione impetra, ut idem Dominus mecum sit.

BENEDICTA TU IN MULIERIBUS, quæ o-

omnis maledictionis mulierum expers fuisti; Virgo concepisti: sine dolore peperisti. Mater generis nostri pœnam intulit mundo; Tu genitrix Domini nostri salutem attulisti mundo: auctrix peccati Eva: auctrix meriti tui es, ô Maria: Eva occidendo obfuit, tu vivificando profuisti; illa percussit, tu sanâsti. Te supplex oro, ô benedicta inter mulieres, ut tuæ benedictionis participem me facias.

Et benedictus fructus ventris tui, qui omnis benedictionis fons est. O Virgo benedicta quis dignas tuis meritis gratias ac laudes referat, quæ illum mundo peperisti, in quo benedicuntur omnes gentes: bonitatis tuæ abundantia officij nostri defectus excuset, ac suppleat. Fac insuper ô Inventrix gratiæ, ô Genitrix vitæ, ô Mater salutis, ut qui per te nostræ carnis ac miseriæ vult esse particeps, per te quoque benedictionis suæ in præsenti, & gloriæ in futuro nos faciat participes JESUS Christus Filius tuus Dominus noster, qui

cum

cum Patre & Spiritu Sancto vivit &c. Sancta Maria, &c.

VI.

Remedia præsentissima ex Symbolo Apostolorum contra Tentationes occurrentes.

1. SI ita nos angustijs conclusos inveniamus, ut nullatenus pateat exitus; dicamus: *Credo in DEUM Patrem Omnipotentem, Creatorem cæli & terræ.* Potest me hinc eruere: quia Omnipotens est. Et volet eruere: quia Pater est amantissimus nostri. Propter nos homines creavit cælum & terram: & quomodo minora non præstabit?

2. Si quis ad desperationem æternæ salutis urgeatur: animet se fide vivâ, & dicat: *Credo in JEsum Christum, Filium DEi unigenitum, Dominum nostrum.* Quid enim est JEsus, nisi Salvator? Quos venit salvare, nisi peccatores? quorum si primus sum; primus sperabo veniam & salutem.

3. Si quis tentatur pusillanimitate, & timore accedendi JEsum: dicat fidenter: *Credo in JEsum Christum, qui*

con-

conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria Virgine. Spiritus Sanctus amor est; Maria Virgo ipsa suavitas & dulcedo est: Conceptus ergo & natus de amore, suavitate & dulcedine, quomodo non erit amabilissimus, suavissimus & dulcissimus?

4. Tentatus impatientiâ in adversis dicat: *Credo in IEsum passum sub Pontio Pilato crucifixum & sepultum*: idq; amore mei. Quidni tantillum feram amore ipsius?

5. Tentatus superbiâ dicat: *Credo in IEsum, qui descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis.* Et me necesse est ad infima descendere, & velut in sepulchro delitescere. Suscitabit & elevabit Dominus, si, & quando placuerit.

6. Dubitans de sua Prædestinatione ad gloriam æternam, dicat: *Credo in IEsum, DEi Filium & Dominum meum, qui ascendit ad cælos*; ut mihi pararet locum: *sedet ad dexteram Patris*: expectans, quem post legitimum certamen coronet.

7. Solicitatus ad peccatum, dicat: *Credo in IEsum, qui venturus est judicare vivos*

vos & mortuos Judicium ejus non effugiam. Nihil inultum remanebit.

8. Desolatus in afflictione, dicat: *Credo in Spiritum Sanctum*, Consolatorem optimum, dulcem animæ hospitem. Aderit, ubi opportunum fuerit: Sustinebo paulisper.

9. Tentatus circa aliquos Fidei articulos, dicat: *Credo in Unam Sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam & Sanctorum Communionem.* Quidquid illa proponit ad credendum, infallibile est. Non alibi, quàm in hac Ecclesia, Sanctorum Communio est, & meritorum & doctrinæ.

10. Stimulis carnis exagitatus dicat: *Credo carnis resurrectionem.* Ut gloriosa resurgas caro mea, abstinendum hic à vetitis voluptatibus. Momentaneum, quod delectat: Æternum; quod cruciat.

11. Gravatus mole peccatorum suorum, dicat: *Credo Remissionem peccatorum.* Misericordiæ Domini super omnia opera ejus. Ibo ad Patrem meum, & dicam: Pater, peccavi!

12. Tædio vitæ præſentis laborans dicat: *Credo vitam æternam.* Modicum ſuſtineamus: modicum laboremus. Timentes & diligentes Dominum, Vita manet æterna, & æternùm glorioſa, atq; beata. En quale armamentarium nobis aperit Virtus Fidei Divinæ. Rectè doctiſſimus Eſthius in c. 6. Eph. *Nihil efficaciùs ad ſuperandas diaboli, carnis & mundi tentationes: quàm ſi quis fidem ſuam diligenter exerceat.*

VII.

Actus præcipuarum Virtutum, eliciendi quotidie erga Deum.

ADoro Te omni poſſibili ſubmiſſione, Optime maxime DEus: quia ſuprema Excellentia es.

Benedico tibi: quia author omnis benedictionis es.

Credo, quidquid revelaſti, & ad credendum propoſuiſti: quia infallibilis Veritas, & Veracitas es.

Diligo te ſuper omnia, ex toto corde, totaq; anima: quia ſum̃a Bonitas es.

Exaltabo Te ſuper omnia: quia mea per-

perfectio es.

Fastidio omnes mundi vanitates: & illecebras: quia omne bonum es.

Gratias tibi ago immortales: quia summa Beneficentia es.

Lætor omni felicitate, & perfectione, & gloria tua: quia perfecta & æterna Beatitudo es.

Magnificat te anima mea: quia magnus es, & laudabilis nimis, & magnitudinis tuæ non est finis.

Nolo, quidquid displicet tibi: quia summa Sanctitas es.

Offero tibi, quidquid sum, habeo, & habebo: quia Dominus meus es.

Pœnitet, ah pœnitet me, quòd peccaverim in Te: quia DEus meus & Omnia es.

Quæro gratiam & auxilium tuum: quia misericordia & Omnipotens es.

Resigno me in omnem voluntatem tuam: quia summa Sapientia & Benignitas es.

Spero à te veniam, & vitam æternam: quia in promissis fidelissimus es.

Timeo judicia tua: quia justus & ter-

ribilis es in consiliis super filios hominũ

Volo, quidquid desideras à me; quia Amor meus es.

Vivit Dominus, in cujus conspectu sto: quia ipsi vivet anima mea.

Actus prolixiores.

OBLATIO.

SUscipe Sancta Trinitas vota labiorum meorum, quæ mihi æstuans amor cordis mei ad magnificandam magnificentiam tuam suggessit. Offero tibi hæc ipsa in unione istius ineffabilis laudis, quam in tua trina DEitate, una persona alteri incomprehensibili modo persolvit. Et in quantum possum, jacto & ego granum cordis mei vilissimum, in divini cordis tui aureum thuribulum (in quo ad laudem tuam jugiter concrematur æterni amoris thymiama suavissimum) concupiscens & desiderans, ut & illud meum vile & indignum per tui Spiritûs afflatum vehementer accensum, transeat in tuæ laudis præmium: & illa lon-

longa, quæ de abyssis terræ post te traho suspiria pro diuturna expectatione mea, tibi sint laus perennis & gloria, Amen.

Laudis divinæ Iubilatio verè altissima.

O Inattingibilis Altitudo prævalentiæ admirabilis. O profunditas abyssi sapientiæ inscrutabilis. O immensa latitudo charitatis desiderabilis. Nemo te dignè laudare potest, nisi tu ipse, qui solus agnoscis tuam infinitam magnificentiam. Scisq;modum quo dignè laudari possis. Laudet ergo te pro me Domine DEus meus, tua æterna DEitas, immensa Majestas & infinita bonitas. Laudet te, Domine DEus meus, pro me tua altissima Sapientia, tua latissima misericordia, tua profundissima justitia. Laudet & benedicat tibi pro me tua incircumscripta magnitudo, tua suavissima dulcedo, & tua piissima benignitas. Omnia nomina, omnia verba, omnesque significationes, quæ de te dici & concipi possunt, illa tibi benedicant, tibi jubilent, teq; exaltent pro me, tibiq; gratias agant

pro omni bono, quod mihi omnibusque creaturis contulisti, & in æternum offerre intendis.

Tibi Domine DEus meus jubilet & benedicat reverendissima humanitas JEsu Christi, sanctissima ejus vita & conversatio, divinissimæ ejus virtutes & gratiæ, pretiosissimus ejus sangvis & lacrymæ, dirissima ejus vulnera & livores, amarissima ejus passio & mors; hæc tibi pro me suppleant teque dignè glorificent.

Te DEus Creator meus magnificet & exaltet serenissima cælorum Regina, castissima Virgo Maria, & cum ea illa decies centena millia beatorum spirituum agmina, unà cum universo innumerabiliumSanctorum tuorum exercitu: illi tibi pro me hymnum dicant & psallant in sæcula.

Tibi Domine DEus meus cantet & jubilet sanctissima Mater Ecclesia, & laudent sacratissima septem Sacramenta, te honorent reverendissimæ Ceremoniæ ritusq; Ecclesiastici: omnes psalmi & preces, omnes ejus virtutes & san-

ſanctificationes, omnes ejus affectus & amores, omnia ejus vota & deſideria, quibus ad te gemit in hac lacrymarum valle.

Tibi laudes & grates perſolvant omnia, quæ mihi gratis contuliſti, gratiarum tuarum dona; tibi benedicant omnes corporis & animæ meæ vires: tibi jubilent omnes nervi & arteriæ meæ, omnia oſſa & carnes meæ, omnia deſideria & gemitus mei, omnis intellectus, memoria, & voluntas mea, & demum tota medulla cordis mei cum ineffabili pulſu & motibus ſuis: quæ omnia tibi offero & reſigno, deprecans, ut me totum in tui laudem & gloriam convertas in tempore & æternitate. Amen.

Tres incomparabiles laudes

quas Chriſtus B. Mechtildem docuit l.1.c.33

VEneror & glorifico te, ô B. Trinitas, in unione iſtius ineffabilis gloriæ, quâ DEus Pater in ſua omnipotentia Filium & Spiritum Sanctum veneratur per ſæcula.

Ma-

Magnifico & benedico te, ô B. Trinitas, in unione iſtius reverendiſſimæ gloriæ, quâ DEus Filius in ſua inſcrutabili Sapientia Patrem, & Spiritum Sanctum glorificat per ſæcula.

Adoro & exalto te, ô B. Trinitas, in unione iſtius ſuperdigniſſimæ gloriæ, quâ Spiritus Sanctus in ſua invariabili bonitate Patrem, & Filium ſuperexaltat per ſæcula, Amen

LAUS EFFICACISSIMA, cujus ſingula verba habent pondus ſingulare. Ex Exerc. S. Gert.

TOta efficacia, & virtus divinitatis tuæ laudet te pro me JEſu piiſſime. Tota amicitia, & affectus humanitatis tuæ, ſatisfaciat tibi pro me. Tota magnificentia, & majeſtas imperialis Trinitatis glorificet, magnificet, & honorificet teipſum in te ipſo pro me, illâ laude altiſſimâ, quâ tu ipſe ſolus tibi ſufficis, & omnium creaturarum defectum tibimetipſi ſupplens in te perficis, Amen.

Modus

Modus efficacissimè DEum laudandi & amandi.

Cùm B. Mechtildis l. 4 c. 22. anxiaretur pro eo, quòd DEum non sufficienter coleret, nec amaret; ait Christus ad eam: cùm me desideras laudare, nec id pro tuo desiderio perficere potes, dic:

O Bone JEsu laudo te: & quod mihi in tua laude deficit, digneris supplere pro me. *Et si me vis amare, dic:*

O bone JEsu amo te: & quod mihi in tuo amore deficit, digneris supplere pro me, DEoque Patri amorem cordis tui offerre pro me.

Et aliàs dixit ad eam: Si me dignè vis laudare, tunc dic hæc 5. verba.

Gloria tibi dulcissima, nobilissima, fulgida, tranquilla, & ineffabilis Trinitas. l. 3. c. 3.

GRATULATIO *verè sublimis DEoq; grata.*

DEus gloriosissime, ego servorum tuorum minimus gratulor tibi, & toto cordis affectu volo & consentio quòd sis, æternumque permaneas talis

ac tantus DEus, qui in tua Deitate & essentia es, æternumque eris. Gaudeo & congratulor tibi de tua infinita potentia ac majestate. Gaudeo & gratias ago tibi propter magnam gloriam, & ineffabilme excellentiam tuam. Gaudeo ac toto corde exulto, quòd in ditione tua cuncta sint posita, & non sit qui tuæ possit resistere voluntati. Et in summam gratulationem & gratitudinem, quòd tu sis ille tantus tamque ineffabilis Deus, offero tibi per cor JEsu dulcissimum, nomine meo omniumque creaturarum tuam divinam infinitamque essentiam, cum omnibus perfectionibus, attributis & proprietatibus, quas in eadem complecteris, tali modo & affectu, quali dedisti nobis posse per Filium tuum in Spiritu Sancto. Opto quoque & desidero, ut omnes creaturæ quæ sunt in cælo & in terra, te agnoscant, te diligant tibique de tua immensa gloria & beatitudine congratulentur, quas omnes in spiritu coram te sisto, tibique subjicio, eorumque nomine tibi congratulor.

Et

Et quoniam id omne longè minus eſt hinc rogo, ut tu meum omniumque creaturarum officium in amando congratulandoque tibi per te ipſum ſupplere digneris, & hunc ipſum ſplendorem floremque charitatis & gratulationis, unà cum omni gloria, laude & gratulatione, quam unanimi conſenſu omnes beati Spiritus, omneſque Juſti tibi deferunt, offero tibi in gratiarum actionem pro omni gloria & beatitudine, quâ frueris in perpetuum. Amē

GRATIARUM ACTIO

Quâ vix invenies ſublimiorem.

Ex Exerc. S. Gert.

GRatias bonitati tuæ DEus, gratias pietati tuæ vera & una Divinitas, ſancta & una Unitas, una & ſumma DEitas, pro omnibus beneficijs & miſerationibus tuis, quibus incontinentiſſima pietas tua tam indebitè circumvenit me. Pro quibus ô dulciſſime DEus, in unione illius ſupercæleſtis laudis, quâ tu, ô glorioſa Trinitas, ſola tui ipſius perfecta laus es, quæ deinde manat in benedictam humanitatem Do-

mini noſtri JEſu Chriſti, atque in ejus glorioſam Matrem, & in omnes Angelos & Sanctos, & iterùm refluit ab eis in abyſſum divinitatis tuæ, unde fluxerat, adoro, laudo & benedico te Domine DEus meus, gratias agens pro amore, quo creaſti, redemiſti, ſanctificaſti, vocaſti, conſervaſti, & omnibus bonis dotaſti me. Quoniam verò non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, ideo rogo te, dulciſſime JEſu, ut tu ipſe in illo prævalente amore, in quo ad dexterám Patris reſides, perſolvas pro me DEo meo pro omnibus bonis, quæ ex inexhauſta ipſius DEitatis abyſſo in me effluxerunt, laudes æternas, immenſas & incommutabiles, quales tu in teipſo prævales, & ſcis congruere reverendiſſimæ gloriæ & honori majeſtatis ejus. Prorumpens pro me, mi JEſu chare, in vocem talis ac tantæ gratiarum actionis, qualis te decet, Domine mi valdè magne & mirabilis, laudans eam in te, & in me, & pro me, in tota virtute tuæ divinitatis, & in toto affectu tuæ humanitatis, ex par-

te & affectu totius universitatis. Amen.

Professio beneficiorum DEi.

Dum B. Gertrudis hanc professionem fecisset, tunc Filius DEi amicissimè complectens & deosculans eam dixit: Ergo post hanc professionem tuam suscipiam te in specialem curam meam suprà omnem creaturam. Hinc intellexit, quòd quando aliquis similiter profitetur, cum gratitudine se providentiæ divinæ committens, tunc Dominus in specialem curam suscipiet eum. l. 3. c. 71.

GRatias tibi ago sancte Pater, utcunque prævaleo, per eum, qui sedet ad dexteram tuam, quòd tam præmagnifica dona à tua largitate accepi: quòd certò recognosco nullam unquam potentiam hoc prævaluisse, nisi solummodo tuam divinam potentiam, quæ omnia creata suâ vegetat virtute.

Gratias tibi ago benignissime JEsu, & fateor atq; fatebor quousq; spiritum trahere valeo, quòd tam in corpore quàm in anima, & in omnibus tam prosperis quàm adversis, ita congruentissimo modo mihi providisti, quòd hoc nulla unquam sapientia ab initio sæculi

li usq; ad finem prævaluisset, nisi tua sola sapientia increata, dulcissime DEus attingens à fine usq; ad finem fortiter & suaviter disponens omnia.

Gratias ago tibi Spiritus alme Paraclete, per eum, qui te cooperante incarnatus est in utero virginali, quòd ita suaviter in benedictionibus tuæ gratuitæ dulcedinis in omnibus me indignum prævenisti, quòd certus sum, nullam hoc unquam benignitatem perfecisse, nisi solummodo tuam ineffabilem dulcedinem, in qua latet, à qua procedit, & cum qua simul accipitur omne bonum. Et sicut hucusque mihi semper providisti, sic idipsum deinceps de divina tua bonitate, cui me devotissimè committo, confido atque præsumo. Amen.

PROFESSIO FIDEI.

O Prima & summa veritas DEus meus, ego NN. corde credo, ore confiteor, & opere protestor, quòd omnes & singulos fidei articulos, quos S. Romana Ecclesia nobis credendos proponit, firmissimè credam, & usque in finem

nem credere velim. Et licet comprehendere nequeam, quinam omnia illa quæ fides tradit, sint possibilia; attamen captivans intellectum meum in obsequium Christi, omnia illa sacrosancta Mysteria summâ demissione veneror, mihiq; ea in salutem provenire deposco. Et sicut hanc fidem modo profiteor, sic & in eadem me vivere & mori velle, coram omnibus Angelis & Sanctis, maximè coram te ô sanctissima Trinitas voveo, juro & promitto, sic me DEus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEum, & DEus erat Verbum.*

Hic commenda DEo fidem tuam, ut sequitur; quicunq; enim hoc fecerit (ajebat Christus B. Mecht. l. 3. c. 34.) impetrabit hanc gratiam, quòd usq; in finem vitæ suæ nunquam in vera fide tentabitur.

HAnc ergo fidem meam commendo omnipotentiæ tuæ, ô Pater æterne, rogans, ut per divinam virtutem tuam me in eadem adeò confirmes, ut ab ea nunquam deficiam. Commendo etiam eandem investigabili sapientiæ

tuæ, ô Fili unigenite, rogans ut me lumine intelligentiæ tuæ ita illumines, ne unquam per ſpiritum erroris valeam perverti. Commendo quoque eandem piiſſimæ bonitati tuæ, ô Spiritus Paraclite, rogans, ut illa ipſa per charitatem omnia ita in me operetur, ut in hora mortis meæ integra & perfecta in me inveniatur.

FIDUCIA IN DEUM.

B. Mechtildi dicebat Chriſtus: In veritate dico tibi quòd mihi valde placeat, quòd homines fiducialiter magna de me ſperent. Eſt enim impoſſibile, quòd homo non accipiat ea, quæ credidit & ſperavit. Ideo bonum eſt homini de me magna ſperare, mihiq; ſincerè fidere. l. [illegible] c. 5. Similia vide in S. Gert. l. 3. c. 7.

O DEus cordis mei, unica ſpes & refugium meum, ego pauperculus, licet omni bono millies indignus, attamen de tua bonitate tam firmiter confido, quòd nequaquam dubitem te mihi in omnibus poſſe, ſcire, & velle fideliter adeſſe. Scio quidem piiſſime DEus, quòd ſi ſecundùm merita mea mihi facere velles, non ſolùm à te nul-

lam

lam gratiam expectarem, ſed mille & mille ſupplicia; attamen cùm ſciam tam exuberantem eſſe bonitatem tuam, quòd etiam peſſimis tuis inimicis benefacere ſoleas; hinc & ego firmiſſimè credo atque confido, quòd me in miſeriis meis non ſis derelicturus, ſed in omnibus mihi taliter proviſurus, qualiter à meo maximo amico nequaquam haberem ſperare.

O Amabiliſſime DEus, licet peccata mea adeò gravia & multiplicia ſint, quòd mille inferni eis non correſpondeant: attamen in conſideratione infinitæ bonitatis tuæ tam ſecurè à te (dummodo mihi diſpliceant, ſicut verè diſplicent) eorum remiſſionem expecto, quòd potius dubitarim an ſim, quàm dubitarim an mihi ea ſis remiſſurus. O infinita bonitas, tam piam de te habeo fiduciam, quòd licet millies plùs peccaſſem quàm feci, ſciremque certò te graviſſimè mihi iratum, attamen licet penes me eſſet eligere mihi judicem, nullum tamen alium, quàm te eligerem. Tibi inquam, & nulli alteri fide-

 rem,

rem, certiusq; à te misericordiam expectarem, quàm ab optimo meo amico. Etenim si toties tamque graviter contra aliquem amicorum meorum, sicut contra te, peccassem, certissimus essem, quòd mihi non ignosceret, licet charissima Mater mea esset. Si enim ei ita rebellis ac injurius fuissem, ac tibi, vel millies me abjecisset & execrata fuisset. Tu verò post tot tamque graves acceptas injurias, post tot tamque graves in tuo servitio commissas negligentias, foves me nihilominus ac nutris.

De consequentia verò beatitudine, putas, piissime Pater, me vel in minimo diffidere? Absit. Non enim meis meritis, sed Unigeniti tui fideli promissione, ejusque copiosissimis meritis, quæ fidelibus suis donavit, eandem me assecuturum spero. Et hinc tanto jubilo & consolatione afficior, quod videar mihi jam possidere bonum, quod desidero. Filius enim tuus qui mihi salutem promisit, meritaque sua quibus illam cöemam donavit, fidelissimus est,

nec verbum, quod de ore ſuo egreſſum eſt, revocabit. Hanc igitur fiduciam, ô Pater æterne, quam pietati tuæ committo, in me conſervare digneris, donec nos jungat æterna perennitas, & ipſa boni fruitio ſpem id ipſum conſequendi depellat. Amen.

AMOR DEI.

B. Gertrudi revelatum fuit l. 3. c. 30. §. 3. quòd cùm una amans anima toto corde convertitur ad Dominum cum integra voluntate, quod ſi prævaleret, libentiſſimè perſolveret DEo omne damnum, in quo eſt detrimentum ſui honoris, & ſic inter orandum facibus amoris inardeſcens blanditur Deo, in tantum ipſum placat, quòd quandoq; reconciliatus parcit toti mundo. Quoniam plus apud DEum prævalet vivis & defunctis ſalutem impetrare una amans anima, quam non amantium millia duodena l. 4. c. 55.

O Amabiliſſime DEus, ô ſummum & infinitum bonum meum, amo, & æternum amabo te: te toto cordis ac mentis affectu complector, te fortiſſimis dilectionis brachijs conſtringo: tu es enim dulciſſimum bonum meum, tu peren-

perennis ſuavitas & dulcedo mea, tu tota ſufficientia ſpiritûs mei. O ſuaviſſime, dulciſſime, amabiliſſime DEus, tu vita animæ meæ, tu jubilus cordis mei, DEus meus, amor meus, dilecte votorum meorum! Amo te dulcedo mea, jucunditas mea, deliciæ meæ, amo te, quantum poſſum & quantum valeo, ſed non quantum debeo. Utinam te millies plùs amarem, utinam infinito amore te amare poſſem. Transfige dulciſſime DEus oor meum amoris tui ſagittâ, & ſaucia illud ſuaviſſimo dilectionis vulnere. Da mihi Domine, ut amem te, quia non poſſum te amare ſine te. O ſi omnia creata corda, omniumq; cordium affectus & amores in meum cor immergere & includere poſſem, quàm vellem te amare dulcis amor meus. O mihi ſi dares vel ad horam ardentiſſimum illum Seraphinorum amorem, ut illo vehementiſſimo amoris igne ſuccenſus omnes homines in tuo amore accendere poſſem. Eheu quàm doleo, quòd tu dulcis amor meus non ameris. Eheu quàm
doleo

doleo, quòd tu dulcis amor meus ita despiciaris & contemnaris, & insuper tam durè offendaris & injurieris. Compatior tibi DEus meus. amor meus super omni contumelia & injuria, quæ tibi irrogatur: & si prævalerem, libentissimè tibi persolverem omne damnum, in quo est detrimentum honoris tui: quia omnem cruciatum desideriorum, quem unquam humanum cor ab initio mundi usque in finem est perpessum in amore tuo, libentissimè continere vellem in me etiam usque ad diem mortis meæ, ut eo dignius acceptaculum tibi in anima mea exhiberem, & insuper emendarem tibi quod tam inæstimabiliter excellens dignitas gratiæ tuæ toties tamque graviter ab ingratis vilipenditur & conculcatur. Amen. Gert. l. 4. c. 54.

Desideria amantis animæ.

Qui habet integram voluntatem, ajebat Christus B. Gert. l. 4. c. 17. ut libentissimè super omnem creaturam me vellet laudare & amare, &c. ille indubitanter à divina liberalitate mea remunerabitur quandoq; copiosius,

piosiùs, quàm unquam ullus hominum opere potuisset obtinuisse.

DEus cordis mei diligo te ex toto corde meo, & utinam millies ampliùs te diligere possem. O utinam & millies utinam te super omnem creaturam laudare, amare, tibi gratias agere, condolere, & in omni virtute me perfectissimo modo exercere possem, id ex integra voluntate mea libentissimè facerem, juxta divini cordis tui summum beneplacitum.

O dulcis amor meus, si possem tibi Domino DEo meo adducere omnes homines, cum quibus dignaris delicias tuas habere, ob hoc à die isto usque in diem judicij libentissimè vellem nudis pedibus circuire totum mundum, & quemlibet eorum, in quibus tu dulcor animæ meæ habitando dignaris delectari, ulnis meis gestando tibi præsentare: ut vel sic desiderio infinito dulcedinis tui divini amoris aliqualiter satisfacere possem. Insuper, si possibile esset, cor meum in tot partes dividere vellem, quot homines vivunt, ut

ex

ex eo cuilibet eorum partiri possem bonam voluntatem ad obsequendum tibi secundùm tui divini cordis summum oblectamentum. l. 4. c. 21.

O amabilissime DEus, nihil quidem habeo, quod possit tuam dignitatem condecere: sed tandem illam voluntatem habeo, quòd si ego haberem omnia, quæ tu habes, omnibus vellem abdicare, & tam liberaliter omnia tibi dare, quòd tu posses dare cuicunq; velles. Imò si defacto DEus essem, & tu esses pauperculus ille N. qui ego sum, vellem ex toto corde divinitati meæ resignare, atque amore tui pauperculus ille fieri, qui modò sum. Fiat! Fiat!

Quod cùm B. Gert. diceret, respondit Christus: Si tu hoc invenis in corde tuo, quòd sic velles mihi facere: certissimè scire debes, quod similiter tibi volo facere, & tantùm supra hoc, quantùm pietas mea, & amor meus præponderat tuo l. 4 c. 26.

HOLOCAUSTUM.

Cùm B. Gert simile holocaustum DEo obtulisset, apparuit Dominus IEsus, ipsam oblationem in similitudine cujusdam dignissimi

mi Xenij B. Trinitati repræsentans, cùmque per medium cæli transiret, tota cælestis militia ob reverentiam istius oblationis visa est genua flectere. Vnde intellexit, quòd quando aliquis DEo offert orationes suas, seu alia studia, hæc tota cæli curia extollit tanquam grata DEo Xenia: cùm verò aliquis merita Christi suis addit, hoc Sancti eo ut modo prædictum est, venerantur. l 4. c. 6

O DEus illustrissime, Dominator cæli & terræ, ego indignissima creatura tua offero tibi super sacratissimo Altari dulcissimi cordis JESU Christi me ipsum totum, cum omnibus quæ sum & possum, unà cum omni bono quod ex abyssali supereffluentia tua mihi unquam contulisti. Et insuper offero tibi omnes thesauros & divitias hujus sæculi, omnes monarchias, regna, principatus, honores & dignitates, tali animo, quod si hæc omnia haberem, vellem ea distribuere pauperibus, inque pios usus impendere: ego verò amore tui in tali paupertate, quali modò sum, lubens permanere.

Deinde super eodem altari offero tibi

tibi omnes virtutes, devotiones, merita & sanctitatem omnium justorum: omnem afflictionem, crucem, indigentiam & paupertatem omnium pauperum afflictorum & infirmorum omnes pœnas, cruciatus, vulnera, effusiones sangvinis & mortes omnium Martyrum: omnem pœnitentiam, mortificationem, jejunia, vigilias & austeritates omnium Confessorum: omnem amorem, continentiam & puritatem omnium virginum: & hæc omnia offero tibi tali intentione & affectu, quasi hæc omnia mea essent, egoque ad laudem tuam purissimâ intentione ea fecissem.

Tertiò offero tibi integram plenitudinem gratiæ & gloriæ, qua Sanctos tuos in cælo, maximè verò superdignissimam Virginem Mariam, Unigeniti tui Matrem tam abundè cumulasti, quòd hoc nullus humanus intellectus plenè capere sufficit. Super omnia autem offero tibi virtutes & merita, quæ Filius tuus operatus est in terris; & omnia gratiarum tuarum dona, quæ ex superefffluentissimo SSmæ Trinitatis

gazophylacio deprompta, sacratissimæ humanitati ejus contulisti. Pro quibus omnibus ex parte omnium cœlestium, terrestrium, & infernorum, per organum illud dulcisonum, scilicet Deificatum cor Filij tui, in virtute Spiritus Paracleti ea resonans, decanto tibi laudes& gratiarum actiones, ex parte omnium cœlestium, terrestrium & infernorum, tibi quod tuum est reddo.

Demum offero tibi inæstimabilem & immensam divitiarum & perfectionum abundantiam, quam divina tua essentia in se complectitur, unaque persona alteri dulcissimo & ineffabili modo communicat. Super quo omni possibili affectu tibi gratias ago, atq; congratulor, quod in te ipso, pro te ipso tam immensos deliciarum thesauros contineas, eosque electis tuis in æternum communices. Ergo Rex in æternum vive, illoque bono, quod tu ipse es, æternum fruere, nobisq; miseris in hac lacrymarum valle degentibus interdum aliquas micas de divite mensa tua largire. Amen.

RE-

RESIGNATIO.

B. Gertrudi revelatum est, quod illi, qui se totos divinæ voluntati conformant & subdunt, super omnia desiderantes ut laudabilissima voluntas DEi circa se plenissimè perficiatur tam in corporalibus quàm spiritualibus, illi cor divinum medullitùs erga se commovent l. 3. c. 30. Et cum tali resignatione tantum honorem quis defert DEo, quantum honorem defert Imperatori, qui coronam regni capiti ejus imponit. Ib. §. 2.

SAnctissime Pater, ecce ego vilis & paupercula creatura tua, propriæ voluntati meæ prorsus abrenuntians, offero & resigno me tuæ sanctissimæ voluntati & beneplacito, præ omnibus deliciis hujus mundi, optans & desiderans, ut laudatissima, placidissimaque voluntas tua in me, per me, & circa me tam in corporalibus, quàm spiritualibus in tempore & æternitate plenissimè semper perficiatur. Et ad hoc perficiendum quodlibet membrorum meorum sigillatim cuilibet pœnæ exponere paratissimus invenirer.

Si mihi optionem dares, ô mi DEus, pe-

petendi quodcunque vellem, & sanctè mihi jurares, quòd petitioni meæ per omnia annuere velles, nihil aliud peterem, nec desiderarem, quàm ut laudabilissima voluntas tua secundùm optimum beneplacitum tuum, tam in me, quàm in omni creatura tua perficeretur. Igitur in unione resignationis illius quâ Christus in monte Oliveti se tuæ voluntati integrè commisit, ipsius affectu & intentione, ipsius corde & ore dico: & millies dico: Non mea sed tua voluntas fiat, Pater sanctissime in tempore & æternitate. Amen.

Si tibi aliqua adversitas immineat: adde sequentia verba. DEo verè gratissima, sicut B. Gertrudis intellexit; quod quando aliquis offert integram voluntatem suam ad omne beneplacitum DEi, quantumvis etiam sciret sibi adversitates imminere, hoc Dominum tali modo acceptare, quasi homo ille tempore passionis ejus, omnibus vulneribus suis lenissima adhibuisset emplastra. l 3 c 64

Maximè autem resigno & offero me tibi bone JESU, paratum ad perferendam adversitatem illam mihi imminentem.

tem, quam integrâ voluntate de manu tua acceptabo, atque cum omni quâ potero patientiâ ſuſtinebo: in unione amoris illius, quo tu ſingulas adverſitates de manu Patris tui ſuſcepiſti, easdemque cum ſumma gratitudine reobtuliſti: rogans, ut mihi vires & patientiam concedas, quò eandem viriliter perferre valeam, ad laudem tuam æternam, & totius univerſitatis ſalutem. A.

EXERCITIUM VESPERTINUM

Priusquam te conferas cubitum examinabis conſcientiam, procedendo per ſex puncta comprehenſa hoc verſu.

Lauda, Ora, Memora, Luge, Propone, Satisfac.

LAUDA *DEum, gratias agendo pro omnibus beneficijs potiſſimũ verò eo die acceptis ſic:*

O Infinita bonitas te laudo, glorifico, & gratias ago pro omnibus beneficijs tuis, quæ hodie mihi, & tota vita contuliſti.

ORA.

DEum gratiam, quâ cognoscas peccata, & dignè de eis doleas, sic:

O Immensa majestas, lux vera & indeficiens; illumina oculos meos, ut cognoscam peccata mea, inflamma affectum, ut dignè ea detester, quô purificatus mente, tibi DEo meo dignè merear famulari.

MEMORA.

Exige à Conscientia rationem de admissis præsenti die peccatis.

LUGE.

Dole de admissis peccatis, & veniam pete, v. g. sic:

INtimè doleo Domine JESU, DEus meus, de peccatis meis, quibus ego indignissimus tuam majestatem, quam ex toto corde amo, impudentissimè offendi: jam ea detestor, fugereque per tuam gratiam, volo. Emendationem & satisfactionem quantùm possum, promitto.

PROPONE.

Seriam emendationem in iis, quæ in te deprehendisti, sic v. g.

O Æterna Sapientia Christe JEsu propono cum tua gratia, majori diligentia vitæq; emendatione, commissa, neglecta, compensare, atque oro ut si hac nocte hinc me discedere velis, pro tua misericordia mecum agas, si verò cogitas vitam meam diutiùs prorogare, gratiam largiaris, sobriè, justé & piè vivendi in hoc sæculo. Amen.

SATISFAC.

Dignâ peccatis pœnâ te punias v.g. Terram aliquoties osculare, diutiùs flecte do ora & examine conscientia sic facto dic: Confiteor DEo omnipotenti &c. *Vsque ad finem* Misereatur nostri &c. Indulgentiam absolutionem, &c. Amen.

Hymnus S. Ambrosij.

TE lucis ante terminum,
Rerûm Creator, poscimus,
Ut pro tua clementiâ,
Sis præsul & custodia.
Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata,
Hostemq; nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.
Præsta Pater piissime,

Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne ſæculum. Amen.

V. Salva nos Domine vigilantes, cuſtodi nos dormientes, ut vigilemus cum Chriſto, & requieſcamus in pace.

V. Cuſtodi nos Domine, ut pupillam oculi. R. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

℣. Dignare Domine nocte iſta.
℟. Sine peccato nos cuſtodire.
V. Miſerere noſtri Domine.
R. Miſerere noſtri.
V. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos.
R. Quemadmodum ſperavimus in te.
V. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

Viſita quæſumus Domine habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici, ab ea longè repelle, Angeli Sancti tui habitent in ea: benedictio tua ſit ſuper nos ſemper. Per Chriſtum Dominũ &c.

Ad S. Angelum Cuſtodem.

Obſecro te Angele Spiritus cuſtos ac tutor meus fidelis, ut in via pa-

nis, proſperitatis & ſalutis te duce dirigar, atque ab omni ſpiritu malo, graviq; tentatione defendar. Peto etiam te favente præſidium dari; ut ſecundùm DEi voluntatem vitia fugiam, & Virtutes Chriſtianas exerceam, quoad noſtrûm communi Domino in cœleſti patria aſſiſtam, ac ſerviam.

Benedicat & cuſtodiat nos omnipotens, & miſericors DEus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Hic adde pro Defunctis. Pater noſter, Ave Maria, Credo, & Pſalm.

De profundis clamavi &c.

V. Requiem æternam dona eis Domine,

R. Et lux perpetua luceat eis.

Oremus.

DEus veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator, quæſumus clementiam tuam, ut noſtræ Congregationis fratres propinquos & benefactores, qui ex hoc ſæculo tranſierunt, B. Maria ſemper Virgine intercedente, cum omnibus ſanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis conſortium pervenire concedas. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

V. Requieſcant in pace. ℟. Amen.

Aſpergens deinde aqua benedicta teipſum, lectum, & habitationem, ora:

Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor, lavabis me & ſuper nivem dealbabor.

Vel Hujus aquæ tactus, propulſet Dæmonis actus.

Tandem facto ſigno S. Crucis, lectum ingredere, dicens:

In nomine Domini noſtri JEſu Chriſti crucifixi, quem ex corde amo, cubitum eo: ille me benedicat, regat, cuſtodiat, & ad vitam perducat æternam. A.

In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum: Redemiſti me DEus veritatis.

In pace, in id ipſum dormiam & requieſcam.

Pax Domini noſtri JESU Chriſti & virtus ſanctiſſimæ paſſionis ejus, ſignum ſanctæ Crucis & titulus triumphalis JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM, integritas quoq; Beatæ Virginis Mariæ, cuſtodia Sanctorum Angelorum, præſertim Tutelaris mei, & ſuffragia omnium

electorum DEi, sint inter me & inter inimicos meos visibiles, & invisibiles, nunc & in hora mortis meæ, Amen.

DEus meus & Omnia, tibi somnus meus & insomnia cedant ad laudem & gloriam. Quieti nunc aliquid indulgere volo: ut cras aptior sim ad obsequium tuum. Interim te pro me laudent omnes Angeli & Sancti tui: omnis motus cordis mei sit contestatio amoris erga Te; omne respirium meum ad Te tendat Finem ultimum, & Beatitudinem meam. Amen.

Nos cum prole pia,
Benedicat Virgo MARIA.

Deinde honestè compositus occupato piâ meditatione animo quasi in Vulnus Lateris Christi, aut Angeli Custodis complexu, vel in tumba sepulchrali somnum expecta, pieque indormisce.

PARS SECUNDA.

PRECES LITURGICÆ,

Tempore SS. Sacrificij Missæ recitandæ, Methodus ministrandi Sacro, & Orationes variæ pro varijs necessitatibus & personis.

I.

Intentio ante Sacrum.

AD majorem laudem & gloriam tuam, Magne DEUS, volo interesse Sacrosancto huic Sacrificio: quo Tibi Unigenitus Filius tuus, Salvator meus, olim in ara Crucis immolatus pro me, iterum cruento modo immolabitur Tibi in odorem suavitatis. Suscipe gratiosus admirandum hoc & pretiosissimum Sacrificium in recognitionem & summam venerationem supremæ Excellentiæ tuæ, Potestatis in res omnes creatas & creabiles; in Gratiarum actiones

onem largiſſimam pro omnibus mihi & toti mundo conceſſis beneficiis; in propitiationem & ſatisfactionem pro innumeris & graviſſimis peccatis meis, & peccatorum omnium; atque in impetrationem gratiarum mihi (& NN.) neceſſariarum, præſertim NN. Da Clementiſſime DEus, ut tam tremendo Sacrificio interſim cum debita reverentia & devotione.

Deinde dic cum Sacerdote

Confiteor, & Miſereatur noſtri &c.

Ad Introitum

Benedicta ſit Sanctas Trinitas, atq; indiviſa Unitas: confitebimur ei quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.

Gloria Patri, qui creavit nos.
Gloria Filio, qui redemit nos.
Gloria SpirituiS, qui ſanctificavit nos
Gloria ſummæ & individuæ Trinitati Deo noſtro in ſæcula ſæculorum. Amē
Kyrie eleiſon, &c.

Poſtea.

GLoria in excelſis DEo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te, Benedicimus te, Adora-

mus

mus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, Domine DEus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite JEsu Christe, Domine Deus, Agnus Dei Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus: Tu solus Dominus: Tu solus altissimus JEsu Christe, cum sancto Spiritu in gloria DEi Patris. Amen.

Ad Orationes.

OMnipotens sempiterne DEus, te suppliciter exoramus, ut respicere digneris de excelso sanctuario tuo super congregationem nostram Ecclesiæ tuæ, ejusq; preces pro nobis omnibus ad te Sacerdotis hujus ministerio destinatas clementer acceptas exaudire. Ideoque pro immensa misericordia tua largiaris nobis peccatorum nostrorum condonationem, integritatem mentis, incolumitatem corporis, necessariam vitæ sustentationem, pacem in diebus

noſtris, àëris temperiem, fertilitatem terræ, Catholicæ Fidei unitatem, extirpationem omnium hæreſeon, conſiliorum impiorum deſtructionem, veræ orthodoxæque religionis incrementa, flagrantiam charitatis ac pietatis omnis, in precatione ſinceram animi devotionem, tolerantiam, longanimitatemq; in affectionibus, in ſpe gaudium: Et quidquid denique, ſive ad animæ ſive ad corporis ſalutem confert, tuæq; ſervit comprimis gloriæ. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, &c.

Ad Epiſtolam.

O Pater cæleſtis, Domine cæli & terræ, qui nunquam deſinis nos indignos famulos tuos, publico Eccleſiæ tuæ miniſterio, Apoſtolicis, propheticis, ac alijs hagiographicis tum doctrinis, tum adhortationibus excitare, in fide confirmare, ad tui amorem atque cultum juſtitiæ ſincerum provocare, adverſus deniq; ſcelerum, tentationumque undas præmunire. Da quæ per ſpiritum tuum, ut ſalutaria illorum dogmata

gmata ac monita, omnes & ex animo amplectamur, & per omnem vitam ipsis etiam factis sedulo serioque exprimamus ad tuam solius gloriam, ad pium proximorum nostrorum exemplũ & animarum nostrarum salutem. A.

Ad Evangelium.

DOmine JESU Christe, qui ut olim doctrinam gratiamque Evangelicam vivo ore prædicasti mortalibus, sic jam per Evangelistarum tuorum scripta nobis eandem clementer proponis & instillas: Aperi quæsumus mentes nostras, ut verbum tuum salvificum cùm probè intelligamus, tum seriò amplectamur, eique & fide flagrante & sincera charitate ad finem usque constanter adhæreamus. Amen.

Symbolum Apostolicum

CRedo in unum DEum Patrem omnipotentem factorem cæli & terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum JEsum Christum Filium DEi unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula DEum de DEo, lumen de lumine, DEum verum de DEo

vero

vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu S. ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiã pro nobis sub Pontio Pilato passus & sepultus est, & resurrexit tertia die secundùm scripturas, & ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum S. Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur. Qui locutus est per Prophetas. Et unam S. Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

Ad Offertorium.

SUscipe Sancte Pater hanc immaculatam hostiam, quam tibi offero pro peccatis meis & totius mundi, in uni-

one illius cruenti Sacrificij, quod tibi in Cruce obtulit dilectus Filius tuus. Per ipsius sangvinem & mortem, dona viventibus fidelibus tuis, gratias necessarias; infidelibus lumen veræ fidei, defunctis requiem & vitam æternam. A.

Ad Orate Fratres,

SUscipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis ad laudem & gloriam suam, ad utilitatem quoque nostram, & totius Ecclesiæ suæ sanctæ.

Deinde,

SUscipe Sancta Trinitas hanc oblationem quam tibi offerimus ob memoriam Passionis, Resurrectionis & Ascensionis JEsu Christi Domini nostri, & in honorem Beatæ MARIÆ semper Virginis, & Beati Joannis Baptistæ & Sanctorum Petri & Pauli, omniumque Sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad Sanctus.

SAnctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cæli & terra glo-

gloriâ tuâ, Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.

Ad Memento vivorum.

MEmento Domine Ecclesiæ tuæ sanctæ, eamque tuere, & per Viros Apostolicos dilata in universo mundo & orbe terrarum, illuminando infideles, convertendo hæreticos, & in fide atq; charitate tua confirmando fideles.

Memento Principum Christianorum, præsertim regni hujus: da ipsis inter se concordiam, gloriæ tuæ zelum, subditorum amorem per rectam gubernationem; populo tuo largire pietatem & pacem, Ecclesiasticis sanctimoniam vitæ, sæcularibus observationes mandatorum tuorum Parentibus meis (*si in vivis sunt*) consangvineis, benefactoribus & amicis da gratiam & sustentationem honestam, inimicis meis veniam peccatorum. Per Dominum nostrum. Amen.

Ad Elevationem Sacrosanctæ Hostiæ.

AVe salus mundi, æternum Patris Verbum,

bum, Hoſtia vera, vita, caro. DEitas integra, & vita æterna.

Domine JEſu Chriſte, qui in ultima cæna ſuſcipiendum hoc tui Corporis Sacramentum in amariſſimæ paſſionis tuæ memoriam inſtituiſti. Miſerere mei, & da quæſo, ut nunquam in me paſſio tua inveniatur eſſe perdita. A.

Ad elevationem S. Calicis.

SAlve nobiliſſime Sangvis de latere Domini mei JEſu Chriſti profluens & totius veteris & novæ culpæ maculas diluens, ablue, ſanctifica, & cuſtodi animam meam in vitam æternam.

Domine JEſu Chriſte, qui in ultima cæna, hoc ſuſcipiendum & adorandum veri tui ſangvinis Sacramentum inſtituiſti in amantiſſimæ Paſſionis tuæ commemorationem, in qua pretioſiſſimus ille Sangvis tuus in humani generis redemptionem effuſus eſt, miſerere mei ac ne ſinas obſecro, ut unquam ille pro me fruſtra effuſus eſſe inveniatur: ſed mihi cum cæteris electis conducat & efficax ſit ad vitam æternam. Amen.

Ad

Ad memoriam Defunctorum.

DOmine Deus Pater Sancte, cujus miſeratio magna, cujus miſericordia æterna eſt, memento quæſo, omnium credentium, qui hîc Christianè & piè obdormierunt. Memento Avorum, parentumque noſtrorum, patris & matris, fratris & ſororis, & omnium cognatorum, & gratiam, quam de te per Chriſtum ſperaverunt, remiſſis cunctis criminibus eorum propitius tribue, ne in judicio cum eis contendas. Ne à ſiniſtris eos deinde ſtatuas. Ne æternis cruciatibus eos adjudices, ſed eos tecum in ſempiternam requiem & gaudia ſuſcipias, ubi te ſanctam Trinitatem cum omnibus electis videant, & celebrent, eaque omnia feliciter percipiant, quæ hîc firmiter crediderunt per mortem & reſurrectionem Filii tui JEſu Chriſti Domini & Redemptoris noſtri, Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Hîc legi poteſt Oratio Dominica Pater noſter, &c. Deinde pacem quam nobis Chriſtus ſacroſancto ſuo ſangvine conciliavit, his verbis exoptamus.

LIbera nos quæſumus Domine ab omnibus malis, præteritis, præſentibus, & futuris, & intercedente Beata & glorioſa ſemper Virgine DEi genitrice Maria, & BB. Apoſtolis tuis, Petro & Paulo atque Andrea, cum omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus noſtris ut ope miſericordiæ tuæ adjuti, & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri, per eundem Dominum noſtrum. Amen.

Cùm dicitur Pax Domini

PAx Domini noſtri JEſu Chriſti ſit mecum & cum omnibus oſſibus & membris meis.

In nomine Patris, & Filij & Spiritûs Sancti. Amen.

Ad oſculum pacis.

DA pacem Domine in diebus noſtris quia non eſt alius, qui pugnet pro nobis, niſi tu DEus noſter.

V. Fiat pax in virtute tua.

R. Et abundantia in turribus tuis.

ORATIO.

DEus, à quo Sancta deſideria, recta conſilia & juſta ſunt opera, da ſer-

vis tuis illam, quam mundus dare non poteſt pacem, ut & corda noſtra mandatis tuis dedita & hoſtium ſublatâ formidine tempora ſint tua protectione tranquilla. Per Chriſtum Dominũ &c.

Ad Communionem

O Sacrum convivium in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria Paſſionis ejus, mens impletur gratia: & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

ORATIO.

PAter miſerationum: Domine DEus clementiſſime, da precor, ut incruentum hoc ſacroſancti Corporis & Sangvinis Filii tui Domini noſtri JEſu Chriſti ſacrificium, quod hîc & ubique pro Eccleſiæ S. devotione in ſempiternam memoriam, quotidianamque gratiarum actionem noſtro omnium bono offertur miſericordiam apud te impetret, & ſalutem obtineat ſempiternam. Amen.

Gratiarum actio poſt Communionem.

GRatias ago tibi DEus omnipotens, quòd licet indignus ſim tuâ menſâ cœleſti, ſpiritualiter tamen ſumendi corpus & ſangvinem Filij tui Domini

nostri JEsu Christi à Sacerdote corporaliter modo sumpti, gratiam mihi peccatori præstans, & devotionem. Cùm ergo creatura tua sim, ô Pater, inclina, precor, ad me aures & concede, ut hæc salutaris Eucharistiæ perceptio, mihi & omnibus fidelibus, vivis simul & defunctis eò proficiat, ut læti in Sanctorum electorumque omnium communionem in extremi judicij die resurgentes cum ovibus ad dexteram Filij tui Domini nostri JEsu Christi judicantis mundum, præsentemur.

Ad Vltimam Collectam.

OMnipotens, æterne & misericors DEus, non equidem dignus sum propter scelera & peccata mea, qui in conspectum Majestatis tuæ veniam & coram te compaream aliquid petiturus, multò minus ut exaudiar, & quod peto, à te feram: sed quia tu ex amore paterno unigenitum Filium tuum constituisti Mediatorem inter te & peccatores miseros, inter quos me infelicissimum cognosco, hunc tibi conciliatorem nostrum offero magna spe ductus, quòd

tua

tua Majeſtas hujus reſpectu me auditura ſit: propter hunc me voti mei reddes compotem, quem tu perpetuò honoras, & cui nihil denegas. Te oro, ut à me peccatore miſero ſuſcipias, nec patiaris, ut in expectatione mea confundar, Amen.

Ad Benedictionem.

COeleſti benedictione, benedicat nos divina Majeſtas, & una Deitas, Pater & Filius, & Spiritus ſanctus, Amē.

Animæ omnium Fidelium defunctorum per miſericordiam Dei requieſcant in pace. Amen.

Initium S. Evangelij ſecundùm Joannem. Gloria &c.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud DEum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt, in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo miſſus à DEo, cui nomen

erat Joannes. Hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine: ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios DEi fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sangvinibus, neque ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex DEo nati sunt. ET VERBUM CARO FACTUM EST, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis. Deo gratias.

OBLATIO.

SUscipe clementissime DEus precibus & meritis B. Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum officium servitutis nostræ: & si quid dignum laudis egimus, propitius respice, & quod negligenter actum est, clementer ignosce. Qui vivis &c.

MO-

II.

Modus ministrandi Sacro.

SAcerdos. Introibo ad Altare DEI.
Minister *Ad DEum qui lætificat juventutem meam.*

S. Judica me DEus, & discerne causam meam: de gente non sancta ab homine iniquo & doloso erue me.

S. *Quia tu es DEus fortitudo mea, quare me repulisti & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus.*

S. Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

M. *Introibo ad Altare DEi, ad DEum qui lætificat juventutem meam.*

S. Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus, quare tristis es anima mea, & quare conturbas me.

M. *Spera in DEo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultûs mei & Deus meus.*

S. Gloria Patri, & Filio & Spiritui S.

M. *Sicut erat in principio & nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.*

S. Introibo ad altare Dei.

M. Ad Deum qui lætificat Iuventutem meam.

S. Adjutorium noſtrum in nomine Do-
M. Qui fecit cælum & terram. (mini.

S. Confiteor DEO &c.

M. Miſereatur tui omnipotens Deus & dimiſſis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam.

S. Amen.

M. Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ ſemper Virgini, Beato Michaëli Archangelo, Beato Ioanni Baptiſtæ, Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo, omnibus Sanctis & tibi Pater quia peccavi nimis cogitatione, verbo & opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa; Ideo precor Beatam Mariam ſemper Virginem, Beatum Michaëlem Archangelum, B. Ioannem Baptiſtam, Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos & te Pater orare pro me ad Dominum Deum noſtrum.

S. Miſereatur veſtri &c. *M. Amen.*

S. Indulgentiam abſolutionem & remiſſionem peccatorum noſtrorum tribuat nobis omnipotens & miſericors Dominus

M. Amen.

S. DEus

S. DEus tu converſus vivificabis nos.
M. Et plebs tua lætabitur in te.
S. Oſtende nobis Domine miſericordiam
M. Et ſalutare tuum da nobis. (tuam.
S. Domine exaudi orationem meam.
M. Et clamor meus ad te veniat.
S. Dominus vobiſcum.
M. Et cum ſpiritu tuo.
Poſt Introitum.
S. Kyrie eleiſon. *M. Kyrie eleiſon.*
S. Kyrie eleiſon. *M. Chriſte eleiſon.*
S. Chriſte eleiſon. *M. Chriſte eleiſon.*
S. Kyrie eleiſon. *M. Kyrie eleiſon.*
S. Kyrie eleiſon.
S. Dominus vobiſcum.
M. Et cum ſpiritu tuo.
In fine Epiſtolæ reſpondet Miniſter:
DEo gratias.
S. Ante Evangeliū, Dominus vobiſcum.
M. Et cum ſpiritu tuo.
S. Initium S. Evangelij &c.
M. Signat ſe dicens, *Gloria tibi Domine.*
Lecto Evangelio iterum ſe ſignans dicit
M. Laus tibi Chriſte.
S. Dominus vobiſcum.
M. Et cum ſpiritu tuo.

S. Orate Fratres.

M. Suſcipiat Dominus ſacrificium de manibus tuis ad laudem & gloriam nominis ſui, ad utilitatem quoq; noſtram, totiusq; Eccleſiæ ſuæ ſanctæ.

S. Per omnia ſæcula ſæculorum.

M. Amen

S. Dominus vobiſcum.

M. Et cum ſpiritu tuo.

S. Surſum corda.

M Habemus ad Dominum.

S. Gratias agamus Domino Deo noſtro.

M. Dignum & juſtum eſt.

S. Ante Pater noſter.

Per omnia ſæcula ſæculorum.

M. Amen.

S. Et ne nos inducas in tentationem.

M. Sed libera nos à malo

S. Per omnia ſæcula ſæculorum.

M. Amen

S. Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.

M Et cum ſpiritu tuo

Ad finem omnium collectarum reſpondetur: Amen,

S. In fine Miſſæ, Dominus vobiſcum.

M. Et cum ſpiritu tuo.

S. Ite.

S. Ite Missa est: vel Benedicamus Domino
M. *DEo gratias.*
S. In Missa pro Defunctis: Requiescant in pace.
M. *Amen.*

Omnium postremò recitat Sacerdos Evangelium Sancti Joannis, ante cujus principium dicit: Initium Sancti Evangelij &c. Respondet Minister. *Gloria tibi Domine* Et in fine Evangelij iterum dicit: *DEO gratias.*

III.

ORATIONES VARIÆ pro diversis necessitatibus & Personis.

Valdè pia Oratio pro cœtu populi Christiani, Guil. Lindani.

O Pater clementissime, patere te semel exorari, vincat te pietas tua, moveat te calamitas nostra, illa obsecro te cogat miserere nostri charitas, quæ te coëgit, ut Filium tuum unigenitum traderes in manus peccatorum crucifigendum pro nobis impijs, & blas-

blaſphemis. Quid ergo nunc facies, Pater clementiſſime, pro filijs tuis, inter quos tot ſunt myriades, quæ non curvaverunt genua ſua ante Baal? immenſa tua te vincat pietas, moveat te calamitas noſtra; plaga noſtra, plaga crudelis, quia percuſſiſti, nos, & non doluimus, neque paternis tuis flagellis, tam ingentibus, tam multis, tam diuturnis, fame, bello & peſte, tanto fratrum noſtrorum pernicioſo ſchiſmate admoniti reſipuimus, aut ad te reverſi ſumus; ſed filiorum adulterinorum more, eiſdem paternis flagellis magis indurati, te ad iram provocavimus, atque cum Sodoma & Gomorrha peccata noſtra prædicare non erubuimus, neque in hunc uſque diem peccare deſiſtimus. Interea non fuit, qui ſeſe tuo furori opponeret medium, qui manum tuam adhuc ſuper nos extentam retraheret. Propter temetipſum igitur, Pater clementiſſime, miſerere tandem gregis tui miſerrimi, ac ei dare digneris paſtores ſecundùm cor tuum, qui illum paſcant in veri-

tate

tate & judicio, qui cogitent ex animo de gravissimis iræ tuæ in nos justissimè sævientis causis semel exscindendis, de collapso David tabernaculo erigendo, de confractis ejus instaurandis, de ruinis tempestivè fulciendis, de reliquiis tandem colligendis, de oviculis pretioso sangvine Filij tui redemptis, non solùm nunc dispersis, dissipatis, atque errantibus, sed dirum etiam in modum dilaniatis, indignissimè vexatis, atque excarnificatis, ac tantùm non devoratis, tandem revocandis, congregandis, pascendis, vivificandis, & salvandis, atque in cælestes illas caulas reducendis. Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo, ad videndum in bonitate Electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua. Peccavimus cum patribus nostris, injustè egimus, iniquitatem fecimus, propter nomen tuum Domine, miserere nostri. Exurge quare obdormis Domine? exurge, ne repellas nos in finem.

nem. Illa obſecro te, ô Pater clementiſſime, cogat pietas noſtri miſereri, quæ te coëgit, ut Eccleſiæ tuæ Chriſtianæ promitteres: *Etiamſi mater filiorum uteri ſui obliviſcatur, & non miſereatur eorum, non tui tamen obliviſcar,* non te deſeram, non derelinquam. Reſpice nunc pauperculam, tempeſtate convulſam, & abſque conſolatione; memineris illius ſecundùm dies antiquos, excita in ea verbi tui fidos miniſtros, qui eodem ſpiritu, quo pridem Apoſtoli, non ſua, ſed quæ Chriſti quærentes, reædificent diruta Jacob, filiiq́ue tui hæreditatem diſſipatam nunc colligant, inſtaurent, innovent, atque in priſtinam reſtituant pietatis Evangelicæ faciem; patere, ô clementiſſime, te tandem exorari, & reſpice propitius ſuper hanc familiam, pro qua Dominus noſter Jesus Chriſtus non dubitavit manibus tradi nocentium, & Crucis ſubire tormentum. Per Dominum noſtrum Jesum Chriſtum Filium tuum. Amen.

Ora-

ORATIO.

ECclesiæ tuæ, quæsumus Domine preces placatus admitte, ut destructis adversitatibus & erroribus universis, securâ tibi serviat libertate.

DEus, qui contritorum non despicis gemitum, & mœrentium non spernis affectum, suscipe preces nostras, quas tibi pro tribulatione nostra effundimus, tuum implorantes auxilium, ut quidquid contra nos diabolicæ vel humanæ moliuntur adversitates, ad nihilum redigas, & consilio tuæ pietatis elidas, ut nullis malis adversitatibus læsi, sed à periculis & angustijs liberati, tibi in Ecclesia tua unanimi voce gratias referamus.

POpulum tuum, quæsumus Domine, ab ira tua ad te confugientem paterna recipe pietate, ut qui tuæ justitiæ flagella formidant, de tua mereantur venia sibi gratulari.

NE despicias, omnipotens DEus, populum tuum in afflictione clamantem, sed propter gloriam nominis tui tri-

tribulationis ſuccurre placatus. Per Dominum noſtrum. Amen.

Oratio pro tempore belli.

DEus, qui conteris bella, & impugnatores in te ſperantium potentia tuæ defenſionis expugnas: auxiliare fnmulis tuis implorantibus miſericordiam tuam: ut inimicorum noſtrorũ feritate depreſſa, inceſſabili te gratiarum actione laudemus. Per Dom. &c.

Oratio pro pace.

DEus auctor pacis & amator; quem noſſe, vivere, cui ſervire, regnare eſt: protege ab omnibus impugnationibus ſupplices tuos: ut qui in defenſione tua confidimus, nullius hoſtilitatis arma timeamus. Per Dominum &c.

Oratio contra peſtem.

DEus, qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum: populum tuum ad te revertentem propitius reſpice: ut, dum tibi devotus exiſtit, iracundiæ tuæ flagella ab eo clementer amoveas. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

Ora-

ORATIO
ad B. V. contra eosdem morbos.

STella cæli extirpavit,
Quæ lactavit Dominum:
Mortis peſtem, quam plantavit
Primus Parens hominum.
Ipſa Stella nunc dignetur
Sidera compeſcere,
Quorum bella plebem cædunt
Diro mortis ulcere.
Glorioſa Stella maris
Summis digna laudibus,
Nos à peſte tuearis
Et à mundi fraudibus.
Medicina Chriſtiana
Sanos ſerva, ægros ſana,
Quod non valet vis humana
Præſtet tua gratia. Amen.

Dic ter:

Audi nos MARIA.
Nam filius nihil negans te honorat:
Salva nos Meſſia,
Pro quibus Virgo Mater te orat.
V. In omni tribulatione & anguſtia noſtra
R. Succurre nobis piiſſima Virgo Maria.

OREMUS.

DEus misericordiæ, DEus pietatis, DEus indulgentiæ, qui misertus es super afflictionem populi, & dixisti Angelo percutienti populum tuum, sufficit nunc, contine manum tuam. Ob amorem tuum & gloriosæ Matris tuæ, cujus ubera pretiosa, contra venenum delictorum nostrorum dulciter suxisti: præsta auxilium gratiæ tuæ, ut ab omni pestifero morbo, & improvisa morte securi liberemur, & à totius perditionis incursu salvemur, per te JEsu Christe Salvator mundi, Rex gloriæ, qui cum DEo Patre, & Spiritu Sancto vivis & regnas DEus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO
tempore famis.

DA nobis, quæsumus Domine, piæ supplicationis effectum, & famem propitiatus averte: ut mortalium corda cognoscant, & te indignante talia flagella prodire, & te miserante cessare. Per Dominum nostrum JEsum &c.

ORA-

ORATIO
ad petendam pluviam.

DEus, in quo vivimus, movemur, & ſumus, pluviam nobis tribue congruentem: ut præſentibus ſubſidijs ſufficienter adjuti, ſempiterna fiducialiùs appetamus. Per Dominum &c.

Alia.

DA nobis, quæſumus Domine, pluviam ſalutarem: & aridam terræ faciem fluentis cæleſtibus dignanter infunde. Per Dominum &c.

ORATIO
ad poſtulandam ſerenitatem.

AD te nos, Domine, clamantes exaudi: & àëris ſerenitatem nobis tribue ſupplicantibus: ut qui juſtè pro peccatis noſtris affligimur, miſericordia tua præveniente, clementiam ſentiamus. Per Dominum &c.

Alia.

QUæſumus, omnipotens DEus, clementiam tuam: ut inundantiam cöërceas imbrium, & hilaritatem vultûs tui nobis impertire digneris. Per &c.

ORA-

ORATIO pro Infirmis.

OMnipotens sempiterne DEus, salus æterna credentium: exaudi nos pro famulis tuis infirmis, pro quibus misericordiæ tuæ imploramus auxilium: ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referant actiones. Per Dominum &c.

Alia.

DEus cujus nutibus vitæ nostræ momenta decurrunt, suscipe preces famulorum tuorum, pro quibus ægrotantibus misericordiam tuam imploramus: ut de quorum periculo metuimus, de eorum salute lætemur. Per &c.

Alia.

DEus, infirmitatis humanæ singulare præsidium: auxilij tui super infirmos famulos tuos ostende virtutem: ut ope misericordiæ tuæ adjuti, Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumes repræsentari mereantur. Per Dominum nostrum &c.

Alia.

OMnipotens & misericors DEus, qui humano generi & salutis remedia, &

& vitæ æternæ munera contulisti: respice propitius famulum tuum infirmitate corporis laborantem, & animam refove, quam creasti: ut in hora exitus illius, absque peccati macula tibi creatori suo per manus sanctorum Angelorum repræsentari mereatur. Per Dominum &c.

Alia.

QUæsumus clementiam tuam, omnipotens DEus, ut per hujus virtutem sacramenti famulum tuum gratia tua confirmare digneris: ut in hora mortis ejus non prævaleat contra eum adversarius, sed cum Angelis tuis transitum habere mereatur ad vitam. Per Dominum nostrum. Amen.

ORATIO
ad repellendas malas cogitationes.

OMnipotens & mitissime DEus, respice propitiùs ad preces nostras, & libera corda nostra de malarum tentationibus cogitationum: ut Sancti Spiritus dignum fieri habitaculum mereamur. Per Dominum &c.

Alia.

DEus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum: illumina quæſumus corda noſtra gratiæ tuæ ſplendore: ut digna ac placita majeſtati tuæ cogitare ſemper, & te ſincerè diligere valeamus. Per Dominum &c.

ORATIO
pro vivis & Defunctis.

OMnipotens ſempiterne DEus, qui vivorum dominaris ſimul & mortuorum, omniumque miſereris, quos tuos fide & opere futuros eſſe prænoſcis: te ſupplices exoramus: ut pro quibus effundere preces decrevimus, quoſque vel præſens ſæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore ſuſcepit intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementia, omnium delictorum ſuorum veniam conſequantur. Per &c.

DEus, cui ſoli cognitus eſt numerus electorum in ſuperna felicitate locandus: tribue quæſumus: ut intercedenti-

dentibus omnibus Sanctis tuis, universorum, quos in oratione commendatos suscepimus, & omnium fidelium nomina, beatæ prædestinationis liber adscripta retineat. Per Dominum nostrum. Amen.

ORATIO
S. Francisci Xaverii S. I. pro Conversione gentilium, hæreticorum, & aliorum peccatorum

ÆTerne rerum omnium effector DEus, memento abs te animas infidelium, hæreticorum, & peccatorum procreatas; easque ad imaginem & similitudinem tuam conditas. Ecce Domine, in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur. Memento JEsum dilectum filium tuum pro illarum salute atrocissimam subiisse necem: noli quæso Domine ultra permittere, ut filius tuus ab infidelibus, hæreticis, & peccatoribus contemnatur; sed precibus sanctorum virorum, & Ecclesiæ sanctissimæ filij tui sponsæ placatus, recordare misericordiæ tuæ, & oblitus

idololatriæ, infidelitatis, contumaciæ & malitiæ eorum effice, ut ipsi quoq; agnoscant, timeant, ac diligant aliquando, quem misisti Dominum nostrum JEsum Christum, qui est salus, vita & resurrectio nostra, per quem salvati & liberati sumus, cui sit gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

THRENUS
Sancti AUGUSTINI
tam pro privatis, quàm publicis necessitatib9

ANte oculos tuos, Domine, culpas nostras ferimus, & plagas, quas accepimus, conferimus.

Si pensamus malum, quod fecimus, minus est, quod patimur, majus, quod meremur.

Gravius est, quod commisimus: levius, quod toleramus.

Peccati pœnam sentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus.

In flagellis tuis infirmitas nostra teritur, & iniquitas non mutatur.

Mens ægra torquetur, & cervix non flectitur.

Vita

Vita in dolore suspirat, & in opere non se emendat.

Si expectas, non corrigimus: si vindicas, non duramus.

Confitemur in correctione, quod egimus: obliviscimur post visitationem, quod flevimus.

Si extenderis manum, facienda promittimus: si suspenderis gladium, promissa non solvimus.

Si ferias, clamamus ut parcas: si peperceris, iterum provocamus, ut ferias.

Habes Domine confitentes reos: novimus, quod nisi dimittas, rectè nos perimas.

Præsta Pater omnipotens sine merito, quod rogamus: qui fecisti ex nihilo, qui te rogarent. Per Christum &c.

Oremus.

PRæsta quæsumus omnipotens DEus, ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in Apostolicæ confessionis petra solidasti, & tot millium Martyrum intercessione tibi obligasti. Per Dominum nostrum &c.

Oratio ad SPEM *excitandam, contra desperationem. S. Aug. c. 13. Med.*

PEccavi Domine, peccatum grande, & multorum sum mihi conscius delictorum; sed nec sic despero: quoniam ubi abundaverunt delicta, superabundavit & gratia. Qui de venia peccatorum suorum desperat, negat te DEum esse misericordem. Magnam injuriam tibi facit, qui de tua misericordia deficit. Non possum terreri multitudine peccatorum, si mors tua, Domine JEsu, in mentem meam venerit. Clavi & lancea clamant mihi, quòd tibi reconciliatus sum, si te amavero. Longinus mihi aperuit latus tuum, & ego intravi, & ibi requiesco securus; nullum tam potens amoris erga te incitamentum est, quàm mors tua, mi JEsu, qua me redemisti. Inclinas caput tuum in morte, ut osculum mihi, quamvis peccatori, des: extendis brachia tua in Cruce, & expandis manus tuas, paratus in amplexus meos. Inter brachia tua & vivere volo, & mori cupio, Amen.

PARS

PARS TERTIA.

Methodus Sacramentaliter Confitendi, S. Communionem percipiendi, Conciones sacras audiendi, & Indulgentias lucrandi.

I.

METHODUS.

Confessionem Sacramentalem ritè peragendi.

POENITENTIA est Sacramentum, in quo Sacerdotalis absolutio à peccatis, quæ detestatus ritèq; confessus quis fuerit, impenditur. *Trident. sess.* 14. c. 1. & *sess.* 6 c. 14.

Tria ad hoc Sacramentum requiruntur: CONTRITIO, CONFESSIO, & SATISFACTIO. Contritio *alia est* perfecta, *alia* imperfecta, *quæ dicitur* Attritio. Contritio perfecta est filialis dolor & detestatio peccati, proficiscens ex motivo sincे-

ri amoris erga DEum offenſum. Contritio imperfecta, *ſeu* Attritio, eſt dolor de peccato quodammodo ſervilis, ex timore ſcilicet gehennæ promeritæ, vel ob fœditatem peccati. *Quantùm autem filius præſtat ſervo, tantùm* Contritio Attritioni.

Non ſufficit ut Confeſſio ſolo corde, *aut ſoli* DEo *fiat, ſed requiritur etiam Confeſſio* oris *coram legitimo Sacerdote.*

Confeſſio debet eſſe 1. Humilis *juxta exemplum* Magdalenæ *ad pedes Chriſti provolutæ:* Prodigi, *ad pedes Patris ſui proſtrati:* Publicani, *non audentis oculos in cælum attollere.*

2. Simplex. Nam peccata excuſare, alleviare, adumbrare, eſt (*S. Bern. ſer 26. in Cant.*) non confeſſio, ſed defenſio: non placat, ſed provocat. Genus excuſationis eſt, cum tu argueris, alium incuſare, ſicut primi parentes noſtri Adam & Eva fecerunt.

3. Brevis, *ſinè hiſtoriis & ambagibus non neceſſariis, iis maximè, quibus alii incuſari, & infamari poſſent, non ſinè periculo committendæ gravis infamationis.* Tam enim

in Confessione quisquis aliorum honori tenere parcere, quàm extra illam.

4. Clara, *vitando verba & modos loquendi æquivocos, dubios, universales &c. ex quibus nihil certi potest cognosci. v. g. si quis dicat:* habui cogitationes malas *non significando, quales ea fuerint, nec addendo; an consensum iis dederit, vel negarit.*

5. Integra, *ita ut omnia & singula peccata gravia, quorum quis potest recordari, pandantur, addito numero peccatorum, de quibus scitur, vel saltem dubitatur, esse gravia; cum circumstantiis speciem mutantibus, vel notabiliter aggravantibus.*

6. Verecunda, *ut non erubescas confiteri, quod facere non erubuisti.*

7. Fidelis: *certa, ut certa, dubia ut dubia enuntians, aliena verò ab omni dolo: sit etiam* Fidelis, *ut non diffidat de venia obtinenda.*

Ad Confessionem quoq; pertinet SATISFACTIO, *hoc est expletio piorum operum, vel à Confessario injunctorum (qua* POENITENTIAM *vocant) vel ultrò susceptorum.*

Excitato igitur ferventi desiderio rectè, devoteq; confitendi, pete efficacem gratiam agnoscendi, detestandi, confi-

confitendi, expiandi, & emendandi omnia peccata tua, per infinita merita Christi, B. V. & omnium Sanctorum.

Revoca in memoriam peccata tua ab ultima confessione commissa, pro quo valere poterit sequens tabula.

TABULA PECCATORUM.

Circa COGITATIONES.

Toties.... adhæsi voluntariè, cum consensu cogitationibus.

superbis,	vindicativis,
otiosis,	suspiciosis,
vagis *in oratione*,	*cum temerario jud.*
impuris,	fraudulentis,
cupidis,	blasphemis,
invidiosis,	hæreticis,
iracundis *cum* odio	desperabundis.

Circa VERBA.

Toties.... cum scandalo vel detrimento proximi locutus sum verba.

otiosa,	detractoria,
jactatoria,	contumeliosa,
superba,	mendacia, *cum juramento.*
impudica,	

irrisoria,
maledica,
execratoria,
blasphema,
ironica,
fraudulenta,
adulatoria,
seductoria,

Circa Opera.

Toties... peccavi his operibus.

fui otiosus,
neglexi *ista...*
pecuniam *inutiliter impendi*
Orationes *ad quas obligor, omisi.*
concionem *neglexi*
dies Festos, *malè impendi.*
jejunia *violavi.*
superbus fui *in vestibus.*
avarus & durus *in pauperes.*
impudicus *mecum*
vel cum aliis.
intemperans *in cibo, potu, &c.*
segnis *in rebus divinis*
injuriam feci.
furatus sum *tantum...*
fraudes exercui,
læsi in corpore,
vel honore alium.
inobediens fui.
contumax.
seduxi alios.
scandalum dedi
grave... tot aliis.

Orationes Pœnitentiales
Ante Confessionem.

1. Oratio Sodalis Mariani Pœnitentiam agentis.

SAncta Maria, Mater DEi, & Virgo; ego N. Sodalis tuus, ah utinam Sodalis, hodie ad pedes tuos projectus veniam peto & postulo pro sceleribus meis. O Domina mea, recordor jam felicis illius horæ, quâ te in Dominam, Patronam, & Advocatam meam elegi & suscepi; sed heu recordor & illius, quòd te nunquam derelicturum, neq; contra te unquam aliquid dicturum aut facturum promisi. Ah, ah, quomodo abusus fui sancto patrocinio tuo? deserui te, quod etiam si tacere volo, tu nôsti, conscientia remordet. Indignus sum vocari Sodalis tuus, nam ab horum numero peccata me separant mea. O Domina mea, quomodo in sancto sodalitio tuæ confraternitatis tam diu perpessa es mancipium iniquitatis? fateor quia indignus sum omni miseratione, qua

qua erga me es uſa, & adhuc uteris: Sed O Domina, doleo quod à te me ſeparavi, doleo quod ſanctis tuis deſiderijs non ſatisfeci, doleo quod pijs patrocinijs locum non reliqui; & quia non doleo ſatis, doleam magis magisq́;. O Domina mea, quo fugiam? tuo patrocinio indignum me reddidi, Chriſti majeſtatem ſuſtinere nequeo, cujus miſericordiam toties contempſi, peccatis obſtantibus meis à te ſanctiſſimâ audiri: à Chriſto etſi miſericorde, miſericordiæ contemptor exaudiri non mereor, ſed O Domina benigna, quid ſi recordari velles antiquæ miſericordiæ tuæ, & miſereri illius, qui olim tuus fuit ſodalis, inutilis licèt & malus, ſodalis tamen; memorare piiſſima, non eſſe auditum à ſæculo, quenquam ad tua currentem præſidia, aut tua petentem ſuffragia fuiſſe derelictum. Subveni ergò mihi miſerrimo peccatori; & cur non ſubvenires peccatori, ſiquidem totum quod habes gratiæ & gloriæ, imò & hoc ipſum quod es, Mater Dei, Regina cœli, Angelorum Domina, peccatoribus debes? utique pro-

propter nos peccatores ad tantam celſitudinem elevata es. Noli ergo ô immaculata, à miſero peccatore faciem tuam avertere, ſed clementer reſpice. Noli, ô pia, ſodalem ad te clamantem & vitam emendare cupientem à te repellere; nòli ô Mater miſericordiæ, miſericordiæ nomen amittere; ſi namque hoc faceres ſodali tuo, quid factura videreris peregrino? abſit à te, ô dulcis miſericordiæ Regina, ut poſſint plùs apud te contra me vitia mea & peccata, quàm poſſit miſericordia tua pro me? à te peto veniam, tu vide ne peream; per te acceſſum habeam ad Redemptorem, per te recipiat me, qui per te datus eſt mihi, JEsus Chriſtus, obtine mihi ſpatium vitæ, & locum pœnitentiæ, & juva ut meam malam vitam dignè emendare poſſim, ad tuam majorem lætitiam, & Filij tui honorem & gloriam.

3. *Oratio juxta exemplum S. Petri.*

Quando quis in peccata, quæ emendare ſtatuerat, rurſus incidit

AD te, Domine JEſu, denuò ſupplex ro-

revertor, qui peccando à te toties discessi: quo ibo nisi ad te? si tu me repellis, quis me suscipiet? si tu condemnas, à quo veniam sperabo? firmissimè quidem ante hac statui custodire justificationes tuas, omniaque peccata, potissimùm ista, vitare: sed eheu! instabilis factus sum, & concupiscentiæ illecebris seductus, te iterum dereliqui. Peccavi, quid faciam? quò me convertam miser, nisi ad te, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra? RESPICE IN ME, Domine JEsu, quemadmodum in Petrum respexisti, & miserere mei. Utinam dolorem cordis mei tot lacrymis, quot ille, contestari possem! in tua misericordia, mi JEsu, quæ major est, quàm mea sit iniquitas, spem omnem pono. Plus tu potes dimittere, quàm ego committere. Ne projicias me à facie tua. Dic animæ meæ: SALUS TUA EGO sum. *Ps.* 34. 3.

3. *Oratio juxta exemplum S. Mariæ Magdalenæ.* Luc. 7.

QUis dabit capiti meo aquam, & ocu-

lis meis fontem lacrymarum, ut plorem die ac nocte peccata mea, quibus te, amantissime JEsu, toties ad iram provocavi! ad pedes tuos cum Magdalena provolvor, eosque ex animo amplector & exosculor, tam supplex misericordiam implorans, Parce Domine, parce peccatis meis: quæ ùtinam tam largo lacrymarum imbre, quàm peccatrix illa, possem eluere! horum defectum, mi JEsu, roseo tuo, quem pro me copiosissimè fudisti, sangvine compensa. A pedibus tuis non discedam: hos firmiter tenebo tanquam salutis meæ anchoram, nec dimittam donec benedixeris mihi, & audiam illa summæ consolationis verba: REMITTUNTUR TIBI PECCATA TUA. *Matth. 9. 2.*

4. *Oratio juxta exemplum Filij prodigi.* Luc. 15.

PAter, peccavi in cælum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. Desiderijs & concupiscentijs meis obtemperavi, te fidelissimo Patre contempto. Fodi mi-

hi cisternas consolationum terrenarum, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, te fonte aquæ vivæ derelicto. Gaudium in creaturis quæsivi, quod in te solo inveniri potest. Verè NON EST PAX IMPIIS. Quare ad te redeo, ô benignissime Pater, cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus. Iterum exclamo: Pater, peccavi in cælum & coram te: redde mihi, obsecro, licèt filij nomine indigno, gratiæ tuæ vestem, quam peccatis meis perdidi: restitue amoris tui annulum, quem amore creaturarum pessundedi, ut hoc ornatu in cæna tua Eucharistica gratiosus comparere merear, tibique æternùm conjungi. MIHI ENIM ADHÆRERE DEO BONUM EST. *Ps. 72. 28.*

5. *Oratio juxta exemplum Zachæi, ad restitutionem famæ, vel bonorum ablatorum.*

Confiteor adversùm me injustitiam meam tibi, Domine, iniquè egi non modò contra divinæ Majestatis tuæ

honorem, verùm & proximi mei charitatem, quem, ut diligerem ſicut meipſum, præcepiſti. Sæpè, fateor, graviterque contra hoc tuum præceptum peccavi, cupidus heu! nimiùm fui rerum temporalium, aliorum damno: nimis laudis propriæ appetens aliorum contemptu: quid tandem proderit mihi, ſi univerſum mundum lucratus fuero, animæ verò meæ detrimentum faciam? quid ex mundi gloria mihi erit, ſi ad infernum deſcendam? quid à cælo, quid à terra ſperare poſſum, te Deo meo offenſo? Agnoſco, Deus meus, iniquè me hactenus egiſſe, & in multis proximo injuriam intuliſſe: ignoſce culpam agnoſcenti: in ſatisfactionem, & tuæ voluntatis adimpletionem, propono & ſtatuo, te adjuvante, omnium damna à me ſive in honore, ſive in bonis proximo illata, quantùm poſſum reſarcire, & aliquam inſuper eleemoſynam largiri. Aufer à me, quod hactenus fovi, cor lapideum, durum & invidum, & redde cor carneum, cor humanum, cor mite, tuæque benignitati

gnitati conforme; ut & ego inter filios Abrahæ à te electos recenseri merear. TU enim VENISTI SALVUM FACERE, QUOD PERIERAT. *Matth.* 18. 11.

6. *Oratio juxta exemplum Latronis in cruce, si quis diu pœnitentiam distulerit.*

SErò ad te venio, ô JEsu crucifixe! tempus est, ut me tibi conciliem; quot enim juvenes æquè ac senes mors interea abstulit, dum ego peccatis indulsi? annon & ego unà cum illis è medio tolli, æternumque damnari potuissem? quid te, mi JEsu; movit, ut mihi præ cæteris parceres, nisi bonitas tua infinita? ne ergò me, quæso, nunc à te repellas, nemo unquam seriò pœnitens, ad te serò nimis venit, Latroni in cruce ultimo vitæ articulo condonâsti, quid, quid omnibus vitæ suæ annis peccavit, eodemque die in paradisum recepisti. Per insigne hoc tuæ misericordiæ, & clementiæ opus te supplex cum eodem latrone (utinam pari amoris & doloris affectu) oro, ô JEsu Nazarene, mi-

ſerere mei, & in tuam, licet indignum me, gratiam recipe. Fateor amariſſimæ paſſionis & crucis cauſam eſſe delicta mea, quæ proindè ex animo nunc deteſtor cum firmiſſimo propoſito, ea me deinceps cum tua gratia nunquam repetiturum. Miſerere mei, ô JESU, miſerere mei, qui MISERERIS OMNIUM PROPTER POENITENTIAM. *Sap.* 11. 24.

7. *Oratio juxta parabolam Ovis perditæ.* Luc. 15.

ERravi ſicut ovis quæ perijt, Paſtor bone, pie JEſu, quære ſervum tuum, & reduc me in viam mandatorum tuorum. Tu enim dixiſti: Viſitabo oves meas, quod perierat, requiram; & quod abjectum erat, reducam; quod confractum, alligabo; & quod infirmum, conſolidabo. Aſpice vulnera peccatorum meorum, quorum non eſt numerus, & ſana es. Tuis me humeris licèt indignum excipe, adduc ad gregem Electorum tuorum; Ibi MISERICORDIAS DOMINI IN ÆTERNUM CANTABO. *Pſal.* 88. 2.

8. Ora-

8. *Oratio juxta parabolam incidentis in latrones*, Luc. 10.

ME miserum! qui ab Jerusalem in Jericho descendi: qui loco veræ pacis deserto, fallaces mundi & carnis delectationes sectatus sum, & in manus infernalium latronum incidi, à quibus innocentiæ veste spoliatus, & ad mortem animæ miserando spectaculo vulneratus sum! Propitius in me oculos converte, ô pie Samaritane, & miserere mei in sangvine peccatorum meorum volutantis. Non est, qui possit aut velit misero mihi in hoc statu salutarem præbere manum præter te, Domine Jesu: in te solo omnis vitæ spes est posita; tu unicus es animæ meæ medicus, huic obsecro, amoris tui vinum, & misericordiæ oleum infunde, & indue in vulnus sacratissimi Lateris tui. Hæc requies mea in sæculum sæculi; hîc habitabo, quoniam ELEGI EAM. *Ps.* 131. 14.

Vera contritio, vi cujus plenariam à Christo indulgentiam obtinere poteris.

Docent Doctores, quòd si peccator ita doleat, quòd paratus sit omnem pœnam peccatis debitam libens sustinere, quòd per hoc DEum ita reconciliet, ut omnem pœnam ei remittat.

BEnignissime DEus, ego indignissima creatura tua, ex mera malitia & perversitate, divinam bonitatem tuam tam multipliciter offendi, quòd justè me abominari & tanquam capitalem hostem tuum persequi deberes. O Christe JEsu, fateor quòd iniquè egerim, & malum nimis coram te fecerim: Attamen tam vehementer super hoc doleo, quòd malim quodvis malum subire, quàm deinceps vel unico mortali peccato te offendere. Non doleo propter graves nimiasque pœnas quas commerui, sed solummodò quia te tam dulcem, tam amabilem, tam benignum & fidelem Dominum, qui mihi nunquam nec minimum malum

lum fecisti, sed omnibus bonis dotasti, tam graviter, tamque injustè offenderim. Ignosce mihi misericordissime JEsu, propter amorem illum, quo Patrem pro persecutoribus tuis rogasti; quia paratus sum omnem injuriam, quam tibi peccando irrogavi; quantum possibile est, reciproco obsequio recompensare. Non peto pœnas promeritas mihi condonari; sed paratissimus sum easdem à paterna manu tua, quando, quomodo, & ubi tibi placuerit, & decor justitiæ exegerit, acceptare. Imò si mihi easdem remittere & condonare velles, nollem id acceptare, sed obnixè te rogarem, quòd te de me vindices; quoniam mihi impossibile esset videre, quòd pro tot & tantis tibi irrogatis injuriis nullo honore reciproco affici deberes. Cum summa igitur humilitate & resignatione me subjicio, & justum tuum super me judicium ambobus brachijs amplector, paratus acceptare, quæcunque mihi adversa in tempore & æternitate immiseris. Amen.

Precatio ad Christum, ut ipse per suam Ss. Conversationem satisfaciat pro nostris excessibus.

Ex Exerc. S. Gert.

O JEsu piissime, plene pietate & misericordiâ, qui nunquam spernis miserorum suspiria: heu deperijt, & sine fructu abiit tota vitæ meæ conversatio; nec quidquid dignè egit in conspectu tuo. Ad te igitur confugio, tuam clementiam exoro. Tu pro me loquere, tu pro me supple. Tu per puras clarissimorum oculorum tuorum lacrymas, ablue omnes peccantium oculorum meorum maculas. Tu per dulcem benedictarum aurium tuarum pietatem, ablue omnem peccantium aurium mearum iniquitatem. Tu per puram sanctissimorum cogitatuum tuorum intentionem, ardentemque transfixi cordis tui amorem, ablue omnem malarum cogitationum mearū, & criminosi cordis mei rei reatum. Tu per vividam dulcium verborum benedicti oris tui potentiam, absterge omnem

mnem polluti oris mei offensam. Tu per operum tuorum perfectionem, manuumque tuarum crucifixionem, ablue omnem impiarum manuum mearum offensionem. Tu per dolorosam benedictorum pedum tuorum fatigationem, dirissimamque perforationem, ablue omnium peccantium pedum meorum maculationem. Tu per vitæ tuæ nobilem innocentiam puramque sanctitatem, ablue omnem corruptæ vitæ meæ fœditatem. Tu demum per pretiosissimi sangvinis tui nobile lavacrum, ablue, emunda & extingve omne cordis & animæ meæ piaculum, ut per sanctissima merita tua mundus inveniar, & deinceps im̃aculatus omnia mandata tua servare merear. Amen.

Oratio devota, quâ peccator per passionem Christi rogat sibi ignosci.

ADoro & veneror te, mitissime Domine JEsu, in crucis patibulo pendentem, & sangvinem tuum roseum pro expiando mundi scelere funden-

tem. Accuſo me in contritione cordis mei de multifaria tibi à me irrogata injuria & infidelitate. Bone JEſu, fateor quod propter nefaria ſcelera mea paſſionis & mortis tuæ ſim cauſa: quodque in paſſione tua magis pœnoſa tibi fuerint mea peccata, quàm impiorum lictorum tunſiones & verbera. Tibi igitur confiteor, & revelo malitiam & iniquitatem meam, & in ſpiritu humilitatis ante crucem tuam proſtratus veniam deprecor. Omnes iniquitates & peccata mea demergo in abyſſum miſericordiæ & clementiæ tuæ, & in cruenta vulnera tua, quæ accepiſti meæ ſalutis causâ; orans, ut illa pretioſo ſangvine tuo, & virtuoſâ aquâ ſanctiſſimi Lateris tui ita abluere & abſtergere velis, ut nulla apud te eorum memoria perſeveret. In perfectam emendationem & expiationem omnium criminum, quæ ego in cogitationibus, deſiderijs & perverſis affectibus cordis mei commiſi, offer æterno Patri tuo immaculatum cor tuum, cum omni bono, quod in ſe continet.

Et pro omnibus inutilibus & noxijs verbis, quæ ore meo locutus sum, exhibe ei omnia sacratissimi oris tui exercitia, atque pro omnibus perversis operibus, quæ perpetrârunt manus meæ, ostende ei perforatas manus tuas, tuâque innocentiâ DEum Patrem placa, ut per te perfectam merear criminum meorum obtinere indulgentiam. Pro quo tibi sit exhibitio suavitatis illius, quam in trina DEitate persona personæ communicat. Amen.

Actus Contritionis.

UTinam te, Domine DEus meus, ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ex omnibus viribus meis super omnia (quod opto) diligam! utinam ipsúmSeraphinorum amorem exæquem, in eoque æternùm persistam! Tu scis, Domine, quia amo te, magisque amare cupiam: quòd millies malim mori, quàm in talia..... peccata relabi. O quàm doleo, quòd te summum & amantissimum bonum meum unquam offenderim! Utinam (quòd firmissimè tuâ

tuâ fretus ope propono) te nunquam vel minimo delicto offendam! Tu enim omni amore, honore & cultu dignus es, cujus sanctissimam voluntatem in omnibus exequi cupio. Amen.

DEus propitius esto mihi peccatori, JEsu Fili David miserere mei.

In sede Confessionali quàm primum Sacerdos ad te audiendum se inclinat, dic: Benedic Pater.

Accepta benedictione recita: Confiteor, *&c. usq; ad* mea culpa *exclusivè*

Tunc indicato tempore ultimæ Confessionis & an injunctam pœnitentiam expleveris, peccata tua recense, juxta tabulam pag 102. *Conclude in hæc verba:* mea culpa, mea culpa, *&c. usq; ad finem.*

Pœnitentiam & admonitionem, quam Confessarius dederit, demisso animo excipe, doloremq; pijs affectibus (sinè tamen strepitu) excita.

NB. Dolor de peccatis ante absolutionem necessariò eliciendus est. Nam sine contritione & attritione pœnitentia non est capax absolutionis.

PRECES
POST CONFESSIONEM.
ORATIO 1.

SIt tibi, Domine obsecro, meritis B. semper Virginis Genitricis tuæ Mariæ, & omnium Sanctorum grata & accepta ista Confessio mea: & quicquid mihi defuit nunc & aliàs de sufficientia contritionis, de puritate & integritate confessionis, suppleat pietas & misericordia: & secundùm illam digneris me habere plenius & perfectius absolutum in cælo. Qui vivis, &c.

ORATIO 2.
juxta exemplum Leprosi. Luc. 17.

AD te ô benignissime JEsu, revertor, & gratias ago, quòd à fœdissima peccatorum meorum lepra mundare me dignatus fueris. Sit nomen tuum, ô JEsu benedictum in sæcula. Verè tu JEsus, hoc est, Salvator es, qui neminem à te quamlibet flagitiosum repellis, qui omnes seriò pœnitentes in gratiam recipis, & in numerum filiorum tuorum adscribis. Misericordiæ tuæ viscera

viſcera, ô JEſu, agnoſco & amplector, meque totum ſervitio tuo deinceps addico. Adjuva, obſecro, imbecillitatem meam, ut nunquam hujus tui præſtiti beneficij oblitus, amore illius delectationis, aut præpoſteri affectûs impulſu, in priora peccata relabar, meque à te ſeparem. Cor & animam meam dilectionis tuæ brachijs ita tecum conſtringo, ut dicere cum Apoſtolo audeam: QUIS ME SEPARABIT A CHARITATE CHRISTI. *Rom.* 8. 35.

Pœnitentiam tibi injunctam abſolve, eamq; ſequenti oratione conclude.

SAnctiſſime Pater, in unione omnium pœnitentiarum, quæ unquam pro gloria nominis tui impletæ ſunt, offero tibi hanc meam confeſſionem & ſatisfactionem; rogans, ut eandem per merita Paſſionis dilecti fili tui, perq; interceſſionem B. Mariæ Virginis, & omnium SS. Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Virginum, ratam, mihi ſalutarem habere & efficere digneris. Et quidquid mihi defuit de ſincera præparatione, perfecta contri

tione, fideli & dilucida Confessione, id omne commendo dulcissimo cordi Unigeniti tui, tanquam bonorum omnium gazophylacio, ex cujus abundantia omne debitum tibi plenè suppletur: ut per idipsum omnes defectus, & negligentiæ meæ in susceptione hujus Sacramenti commissæ plenè & perfectè ad æternam laudem tuam suppleantur: meque tam efficaciter absolvere velis in cælis, sicut minister tuus tua authoritate me absolvit in terris. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum &c.

SEPTEM PSALMI POENITENTIALES

Antiph. Ne reminiscaris.

Psalmus 6.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valdè, sed tu Domine usquequo?

Con-

Convertere Domine, & eripe animam meam: ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo lavabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos.

Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur & erubeſcant valdè velociter.

Gloria Patri, &c.

Pſalmus 31.

BEati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates: & quorum tecta ſunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec eſt in ſpiritu ejus

jus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi.

Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.

Veruntamen in dimidio aquarum multarum:ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus & mulus: quibus non est intellectus.

In chamo & fræno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: sperantem

autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino & exultate justi: & gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 137.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neq; in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmâsti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis,

mis rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine ante te omne deſiderium meum: & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Cor meum conturbatum eſt, & dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.

Amici mei, & proximi mei: adversũ me appropinquaverunt, & ſteterunt.

Et qui juxta me erant, de longè ſteterunt & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam ſurdus non audiebam: & ſicut mutus non aperiens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non audiens & non habens in ore ſuo redargutiones.

Quoniam in te Domine ſperavi: tu exaudies me Domine DEus meus.

Quia dixi, ne quando ſupergaudeant mihi inimici mei & dum commoventur pedes mei, ſuper me magna

locuti ſunt.

Quoniam ego in flagella paratus ſum: & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Quoniam iniquitatem meam annunciabo: & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt & confirmati ſunt ſuper me: & multiplicati ſunt, qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine DEus meus: ne diſceſſeris à me.

Intende in adjutorium meum Domine DEus ſalutis meæ.

Gloria Patri, &c.

Pſalmus 50.

MIſerere mei DEus: ſecundùm magnam miſericordiam tuam.

Et ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco

gnosco & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi & malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me Domine hyssopo & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam & exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me DEus. & spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me à facie tua & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij

ad te convertentur.

Libera me de ſangvinibus Deus Deus ſalutis meæ: & exultabit lingva mea juſtitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem utique, holocauſtis non delectaberis.

Sacrificium DEo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jeruſalem.

Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ, oblationes, & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Gloria Patri, &c.

Pſalmus 101.

DOmine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te: velociter

lociter exaudi me.

Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitûs mei: adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum Pelicano solitudinis, factus sum sicut nicticorax in domicilio.

Vigilavi: & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, adversùm me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miscebam.

A facie iræ indignationis tuæ: quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt: & ego sicut fœnum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generatione & generationem.

Tu exurgens misereberis Sion: quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus: & terræ ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion: Et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium: & non sprevit preces eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cælo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum ut solveret filios interemptorum.

Ut annuncient in Sion nomen Domini: & laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum & reges ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suæ: paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generatione & generationem anni tui

Initio tu Domine terram fundasti:

& opera manuum tuarum sunt cœli.
Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent.
Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.
Filij servorum tuorum habitabunt: & semen eorum in sæculum dirigetur.
Gloria Patri, &c.

Psalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit?
Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.
Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.
A custodia matutina usque ad noctem speret Israël in Domino.
Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.
Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 142.

DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam: in veritate tua exaudi me, in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terrá vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi: & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meũ.

Memor fui dierum antiquorum meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi manè misericordiam tuam; quia in te speravi.

Notam fac mihi viã, in qua ambulem:

quia

quia ad te levavi animam meam.
Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.
Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectã propter nomen tuum Domine vivificabis me, in æquitate tua.
Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.
Et perdes omnes qui tribulant animã meam: quoniam ego servus tuus sum.
Gloria Patri, &c.
Antiph. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neq; vindictã sumas de peccatis nostris.

LITANIÆ
De omnibus Sanctis.

KYrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cælis DEus, Miserere nobis.
Fili redemptor mundi DEus, Miserere nobis.

Spiri-

Spiritus sancte DEus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus DEus. Miserere nobis.
Sancta Maria. Ora pro nobis.
Sancta DEi genitrix. ora.
Sancta Virgo Virginum. ora.
Sancte Michaël, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphaël, ora.
Omnes sancti Angeli & Archangeli, Orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate.
Sancte Joannes Baptista, ora.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ, Orate pro nobis.
Sancte Petre,
S. Paule,
S. Andrea,
S. Jacobe,
S. Joannes,
S. Thoma,
S. Jacobe,
S. Philippe,
S. Bartholomæe,
S. Matthæe,

Ora pro nobis.

S. Simon, Ora p. n.
S. Thadæe,
S. Mathia,
S. Barnaba,
S. Luca,
S. Marce,
Omnes ſancti Apoſtoli & Evangeliſtæ,
Omnes ſancti diſcipuli Domini, orate.
S. Stephane, ora.
S. Laurenti, ora.
S. Vincenti, ora.
S. Adalberte, ora.
S. Stanislae, ora.
S. Venceslae, ora.
S. Floriane, ora.
SS. Fabiane & Sebaſtiane, orate.
SS. Joannes & Paule, orate.
SS. Coſma & Damiane, orate.
SS, Gervaſi & Protaſi, orate.
Omnes ſancti Martyres, orate.
S. Silveſter, ora.
S. Gregori, ora.
S. Ambroſi. ora.
S. Auguſtine, ora.
S. Hieronyme. ora.
S. Martine. ora.

S. Nico-

S. Nicolae, ora.
S. Casimire, ora.
Omnes sancti Pontifices & Confessores.
Omnes sancti Doctores, orate.
S. Antoni, ora.
S. Benedicte, ora.
S. Bernarde, ora.
S. Dominice, ora.
S. Francisce, ora.
S. Hiacynthe, ora.
S. P. Ignati, ora.
S. Francisce Xaveri, ora.
Omnes sancti Sacerdotes & Levitae, orate
Omnes sancti Monachi & Eremitae, orate
Sancta Maria Magdalena, ora.
S. Agatha, ora.
S. Lucia, ora.
S. Agnes, ora.
S. Caecilia, ora.
S. Catharina, ora.
S. Anastasia, ora.
S. Hedvigis, ora.
S. Elisabeth, ora.
Omnes sanctae Virgines & Viduae, orate.
Omnes Sancti & Sanctae DEi, intercedite pro nobis,

Pro-

Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A subitanea & improvisa morte,
Ab insidijs diaboli,
Ab ira & odio, & omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgure & tempestate,
A peste, fame, & bello,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ,
Per Adventum tuum.
Per nativitatem tuam,
Per baptismum & sanctum jejunium tuum,
Per crucem & passionem tuam,
Per mortem & sepulturam tuam,
Per sanctam resurrectionem tuam,
Per admirabilem ascensionem tuam,
Per adventum Spiritûs S. paracleti,
In die judicij,
Peccatores, Te rogamus audi nos.

Libera nos Domine.

Ut nobis parcas, te rog.
Ut nobis indulgeas, te rog.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris. te rog.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere & conservare digneris, te rog.
Ut dominiũ Apostolicum & omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris, te rog.
Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, te rog.
Ut Regibus & Principibus Christianis pacem & veram concordiam donare digneris, te rog.
Ut cuncto populo Christiano pacem & unitatem largiri digneris. te rog.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare & cõservare digneris, te.
Ut mentes nostras ad cælestia desideria erigas. te rog.
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rog.
Ut animas nostras fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorũ ab æterna damnatione eripias, te.
Ut fructus terræ dare & conservare digne-

digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris, Te rogamus.
Fili DEi,
Agnus DEi qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.
Agnus DEi qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.
Agnus DEi, qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis.
Christe audi nos,
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Pater noster &c.

II.
METHODUS
piè ac fructuosè percipiendi Ss. Eucharistiam.
PRECES
ANTE S. COMMUNIONEM.

Confessio fidei de Ss. Sacramento, à S. Thoma Aquinate composita, quam Ecclesia per octavas Corporis Christi in sacro Missæ sacrificio usurpat.

Lang

LAuda Sion Salvatorem,
Lauda ducem & paſtorem,
In hymnis & canticis.
Quantùm potes, tantùm aude,
Quia major omni laude,
Nec laudare ſufficis.
Laudis thema ſpecialis,
Panis vivus & vitalis,
Hodie proponitur.
Quem in ſacræ menſa cœnæ
Turbæ fratrum duodenæ
Datum non ambigitur.
Sit laus plena, ſit ſonora,
Sit jucunda, ſit decora
Mentis jubilatio.
Dies enim ſolennis agitur,
In qua menſe prima recolitur
Hujus inſtitutio.
In hâc menſa novi regis,
Novum Paſcha novæ legis,
Phaſe vetus terminat.
Vetuſtatem novitas,
Umbram fugat veritas,
Noctem lux eliminat.
Quod in cœnâ Chriſtus geſſit,
Faciendum hoc expreſſit,

In ſui memoriam.
Docti ſacris inſtitutis,
Panem, vinum, in ſalutis
Conſecramus hoſtiam.
Dogma datur Chriſtianis,
Quod in carnem tranſit panis,
Et vinum in ſangvinem.
Quod non capis, quod non vides,
Animoſa firmat fides,
Præter rerum ordinem:
Sub diverſis ſpeciebus,
Signis tantùm, & non rebus,
Latent res eximiæ,
Caro cibus, ſangvis potus:
Manet tamen Chriſtus totus
Sub utraque ſpecie.
A ſumente non conciſus:
Non confractus, non diviſus,
Integer accipitur.
Sumit unus, ſumunt mille:
Quantum iſti, tantum ille:
Nec ſumptus conſumitur,
Sumunt boni, ſumunt mali:
Sorte tamen inæquali
Vitæ vel interitûs.
Mors eſt malis, vita bonis:
Vide paris ſumptionis

Quam ſit diſpar exitus.
Fracto demum Sacramento
Ne vacilles ſed memento,
Tantum eſſe ſub fragmento
Quantum toto tegitur.
Nulla rei fit ſciſſura:
Signi tantùm fit fractura,
Quâ nec ſtatus, nec ſtatura
Signati minuitur.
Ecce panis Angelorum
Factus cibus viatorum:
Verè panis filiorum,
Non mittendus canibus.
In figuris præſignatur,
Cum Iſaac immolatur:
Agnus paſchæ deputatur:
Datur manna Patribus.
Bone paſtor, panis vere,
JESU noſtri miſerere:
Tu nos paſce, nos tuere:
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.
Tu, qui cuncta ſcis & vales,
Qui nos paſcis hic mortales:
Tuos ibi commenſales
Cohæredes & ſodales
Fac ſanctorum civium, Amen. Di

Devotæ considerationes ante Communionem.

QUis ego sum, benignissime JESU, ut desiderio apud me manendi tenearis. Num vilissimam meam originem ignoras? Non sum ex numero cœlestium illarum legionum, non Seraph, non Archangelus, non Angelus, nec aliquis ex sacratissimis spiritibus. Homo sum, qui ante nihil fui, ex terræ limo ducens initium, putredo pater meus est; mater mea, & soror mea vermis. Quid igitur reperis in me, quod te tantoperè delectet? Fortasse ô speciosissime formâ præ filijs hominum, deliciæ tuæ sunt esse cum filijs hominum? Verùm non sum ego Moyses, non Abraham, non Jacob: longè absum à sanctitate Joannis, à puritate Mariæ Virginis, à charitate Apostolorum, à Sanctorum tuorum perfectione: Peccator sum tuâ præsentiâ indignus, qui te pro fœda voluptate & lucro temporali, non semel vendidi. Et ego te jam cum Juda deosculabor, & velut Regem

Judæorum salutans, arundine, hoc est, vacuitate virtutis, & levitate nimia vitæ meæ, caput tuum percutiam.

Si sanctus Joannes Baptista in ventre matris sanctificatus, vir tantus, & tam admirabilis, non reputat se dignum qui te tangat aut solvat corrigiam calceamenti tui: si sanctus Petrus Apostolorum princeps præsentiam tuam, in navicula sua extimescens dicit: Exi à me Domine, quia homo peccator sum; si centurio indignum se dicit, sub cujus intres tectum: quomodo ego totus in peccatis natus, audebo te non dicam tangere, sed etiam in me accipere, & manducare? O flos campi! ô lilium convallium! panis Angelorum! quomodo nunc à bestia manducaberis? quomodo qui pasceris inter lilia, pascuæ locum apud me inter spinas & tribulos invenies?

Memini tamen Domine, quia meretricem suscepisti, quia cum peccatoribus manducasti, quia multò gratiores fuerunt tibi lacrymæ Magdalenæ, quàm Pharisæi epulæ; ideo ad te venio

nio alacris, & bonæ ſpei plenus, quòd
me non rejicies, nec repudiabis: Quare
ô bone JEſu venientem me recipe,
ac tibi per hunc myſticum panem,
quem in me accipere ardeo, conjunge.
Et quamvis ô ſuaviſſime JEſu, ab hac
menſa juſtiſſimus timor ex magnitudine
ſcelerum meorum me abducat &
abſtrahat, ſpes tamen & amor, quem
cognita miſerationum tuarum immenſitas
parit, urgent & invitant. Scio enim
te dixiſſe: Non veni vocare juſtos,
ſed peccatores; &, Non opus eſt medico
ſanis, ſed malè habentibus; ideoque
Zachæo publicano deſiderio tui
videndi accenſo, & oſtendiſti te, & eum
benignè compellâſti, cùmque eo agere
& manducare voluiſti: ut quid ergo
de tua miſericordia bone JEſu diffidam?
cur ad menſam tuam invitatus
non provolem? In ea enim mihi pharmacum
ſalutis porriges & propinabis
vinum quod germinare facit Virgines,
quod ſerpentes interimit, quod vitam
mortuis reſtituit. Veni ergo Domine,
oſtende mihi faciem tuam, ingre-

dere in domum meam; dic, quia salus facta est domui meæ, & cur non salus illi fiet, si ad eam Salvator diverterit? Amen.

S. Ambrosii Episc. Eccl. Doct.

AD mensam dulcissimi convivij tui pie Domine JEsu Christe, ego peccator de proprijs meritis nihil præsumens, sed de tua confidens misericordia & bonitate, accedere vereor & contremisco. Nam cor & corpus habeo multis criminibus maculatũ, mentem & lingvam non cautè custoditam. Ergo ô pia DEitas, ô tremenda majestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiæ recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio: & quem judicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro: Tibi Domine plagas meas ostendo, tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa & magna, pro quibus timeo. Spero in misericordiis tuis, quarum non est inumerus. Respice ergo in me oculis misericordiæ tuæ, Domine JEsu Christe,

Rex æterne, DEus & homo; crucifixus propter hominem: Exaudi me ſperantem in te, miſerere mei pleni miſeriis & peccatis. Tu qui fontem miſerationis nunquam manare ceſſabis. Salve ſalutaris victima, pro me & omni humano genere, in patibulo crucis oblata, ſalve nobilis & pretioſe ſangvis de vulneribus crucifixi Domini mei JEſu Chriſti profluens, & peccata totius mundi abluens. Recordare Domine creaturæ tuæ, quam tuo ſangvine redemiſti. Pœnitet me peccâſſe, cupio emendare, quod feci. Aufer ergo à me clementiſſime pater omnes iniquitates & peccata mea, ut purificatus mente & corpore dignè deguſtare merear ſancta ſanctorum; & concede, ut ſancta prælibatio corporis & ſangvinis tui, quam ego indignus ſumere intendo, ſit peccatorum meorum remiſſio, ſit delictorum perfecta purgatio, ſit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum ſenſuum regeneratio operumque tibi placentium ſalubris efficacia, animæ quoque & corporis, contra inimico-

rum meorum insidias firmissima tui-tio, Amen.

S. Augustini Episc. Conf. & Eccl. Doct.

O Mater pietatis & misericordiæ Virgo MARIA, ego miser & indignus peccator, ad te confugio toto corde & affectu, & precor pietatem tuam, ut sicut dilectissimo Filio tuo in cruce pendenti adstitisti, ita & mihi nunc ad mensam ejus divinam accedenti assistere digneris, ut tuâ gratiâ adjutus, eum non indignè merear accipere. Amē.

S. Hieronymi Doct. Eccl. sub mortem in terram prostrati antè sanctissimum Sacramentum.

DOmine mi, quis ego sum ut intres sub tectum meum? sumne ego melior quàm patres mei? Moysi viro sanctissimo non concessisti, ut videret faciem tuam; quomodo ergo nunc sic te dimittis, ut visites pauperem publicanum & peccatorem: Satis tibi non est mecum cibum sumere, sed insuper præcipis, ut te comedam.

Quàm benè perspectum est errabundæ ovi, cùm teneat intra se pastorem suum,

ſuum, non timeo inferni miniſtros neque monſtra abyſſi. Nunquam me meus dulcis paſtor deferet poſtquam mea viſcera ſubivit. Retinebo eum mecum, nec elongabit ſe à me. Tu es DEus meus, & pater meus, non timebo mala, dum tu mecum es, etiamſi mors ſtet contra faciem meam.

Vide ô JEſu, ego ſum æger, & tu medicus; ſana me, ego nudus & tu dives, contege me; libera me de tot laqueis defenſor meus, gubernator, cuſtos, DEus, Rex, & Dominus meus, in cujus manus commendo ſpiritum meum, quem redemiſti in ligno crucis, & propter quem diſtendis & dilatas miſericordias tuas. Amen.

S. Thomæ Aquin.

OMnipotens ſempiterne DEus, ecce accedo ad Sacramentum unigeniti Filij tui Domini noſtri JEſu Chriſti, accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem miſericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper & egenus ad Dominum cæli & terræ: Rogo ergo immenſæ

largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem, ut panem Angelorum tantâ suscipiam reverentiâ & humilitate, tantâ contritione & devotione, tantâ puritate & fide, tali proposito & intentione, sicut expedit saluti meæ. Da mihi quæso Dominici corporis & sangvinis, non solùm suscipere Sacramentum, sed etiam rem & virtutem Sacramenti. O mitissime DEus, da mihi corpus unigeniti Filij tui Domini nostri JESU Christi, quod traxit de Virgine Maria sic suscipere: ut corpori suo mystico merear incorporari, & intra ejus membra numerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelatâ tandem facie perpetuò contemplari: Qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

S. Francisci Confessoris.

O Domine DEus meus, quis es tu & quis ego? Ecce hic sto ante te, Domine,

mine, tanquam mendicus ante divitem petens, ut divitias gratiæ tuæ mihi pro modulo meo participare velis.

O Domine JEſu, hic ſto ante te, ut ſervus ante Dominum, petens cibum & potum corporis & ſangvinis tui, ſimul & veſtem charitatis, quæ multitudinem operit peccatorum.

O Domine, hìc ſto ante te, ut reus ante judicem terribilem, petens ut mihi judex pius eſſe velis, quando ſeparabitur anima mea à corpore, & ante tribunal tuum præſentabitur.

O Domine, hìc ſto ante te, ſicut amicus ante amicum, petens ut eximia charitas tua trahat me ad te, me liget in te, & non permittat me unquam ſeparari à te.

O Domine, hìc ſto ante te, tanquam filius ante parentem petens confidenter, ut neceſſaria & ſalutaria quæque mihi provideas, & paternam hæreditatẽ mihi finaliter non velis denegare. A.

Adoratio ſanctiſſimi Sacramenti S. Thomæ Aquin.

ADoro te devotè latens Deitas,

Quæ sub his figuris verè latitas;
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quæ te contemplans totum deficit:
Visus, gustus, tactus, in te fallitur,
Sed auditu solo tutè creditur.
Credo quidquid dixit DEi Filius,
Nil hoc Verbo veritatis verius.
In cruce latebat sola Deitas,
At hic simul latet & humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petiit latro pœnitens.
Plagas sicut Thomas non intueor,
DEum tamen meum te confiteor.
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini!
Panis vivus vitam præstans homini!
Præsta meæ menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.
Pie Pelicane, JEsu Domine,
Me immundum munda tuo sangvine:
Cujus unâ stillâ salvum facere,
Totum mundum quit ab omni scelere.
JEsu, quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat illud, quod tam sitio:
Ut, te revelata cernens facie,

Visu

visu sim beatus tuæ gloriæ. Amen.

Circa ipsam Communionem aspirationes.

1. O DEus scrutator cordis mei, cupio sumere utinam teipsa possim mirabile & cæleste Sacramentum, omni qua par est pietate & religione, omni affectu & desiderio & fervore Angelorum & Electorum tuorum. Domine ante te omne desiderium meum, paratum cor meum DEus, paratum cor meum: offero tibi totum cor meum, & omnia. Desiderium pauperis exaudi ô Domine, præparationem cordis audiat auris tua; suppleat divina & immensa tua benignitas, quicquid mea non valet humana infirmitas.

2. Eja veni Domine & noli tardare: sed veniat, obsecro tecum illa multum desiderabilis bonitas, mansuetudo, charitas & misericordia tua, per quam excusetur & juvetur miseria mea.

3. Habeam te JEsu mi, qui habes omnia; possideam te, qui potes & possides omnia: Ergo ô DEus meus & omnia abstrahe cor meum à cæteris omnibus, nihil nisi vanitas & afflictio spiri-

spiritus. In te uno fixum sit cor meum in te sit requies mea, ubi est thesaurus meus, summa veritas, & vera felicitas & felix æternitas.

4. Sentiat ô Domine JEsu, mens mea dulcedinem præsentiæ tuæ, gustet quàm suavis sis Domine; ut inescata amore tui, nihil quærat extra te, unde gaudeat: quia tu es gaudium cordis mei, & pars mea DEus in æternum.

DEus meus & omnia! absorbeat mentem meam ignita & melliflua vis amoris tui, ut amore amoris tui mundo moriar, qui amore amoris mei dignatus es in cruce mori, ô DEus meus & omnia!

O ergo ô bone JEsu, dulcissime & amantissime JEsu, JEsu amor cordis mei, unicum & æternum bonum meum desideratissime JEsu conjunge me tibi, quia ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ Ecclesiæ, & Mariæ. Paratum cor meum, paratum cor meum, fiat mihi secundùm Verbum tuum.

Invitatio IESV.

O JEſu ſuperdulciſſime, qui ipſemet dixiſti, delitias tuas eſſe cum filijs hominum, te deſiderat anima mea, te affectat cor meum. Invito te igitur tali devotione & amore, quali ulla unquam amantiſſima anima te ad ſe invitavit. Veni ergo dilectiſſime ſponſe animæ meæ, veni dilectiſſime amor animæ meæ, & diverte in paupercu-lum diverſorium cordis mei. Veni cœleſtis Medice, veni & ſana infirmam animam meam: veni amice millies dilectiſſime, & dita extremam paupertatem meam.

Veni ſol amabiliſſime, & illumina denſiſſimas tenebras animæ meæ. Veni manna ſuaviſſimum, & ſatura nimiam eſuriem meam. Veni JEſu delectabiliſſime, veni dilecte votorum meorum, veni & cæna mecum in vili cænaculo cordis mei. Et licèt nihil quod divinam tuam poſſit condecere magnificentiam, præparaverim; invenies tamen integram patinam bonâ voluntate, ſummoque in te affectu refertiſſimā.

O uni-

O unice amor meus, summo tui teneor desiderio, summoque te præstolor amore. O speciosissime inter filios hominum, ô fons superfluentis dulcedinis, ô suavissima suavitas omnis delectationis! ah veni ad me, & ne spernas pauperculum servum tuum.

Hic cum sancta Gertrude lib. 4. cap. 23. osculatus imaginem Christi, dic:

O Jesu amantissime, ex intimo cordis affectu te deosculans, rogo eum affectu omnium orationum, quæ unquam de corde tuo dulcissimo profluxerunt, ut ad hospitiolum cordis mei digneris declinare.

Iam jam accessurus dic quod Christus S. Gertrudem l. 3. c. 28. docuit:

Ecce Domine, ego vilis peccator, pauper, malus & indignus venio ad te supereffluentem abyssum pietatis, ut laver ab omni macula, & replear omni gratiâ.

Sequentia verba dic cum magno affectu, quæ Christus dixit S. Gertrudi l. 3. cap. 19. quod qui tali intentione ad Communionem accederet, nunquam irreverenter accedere posset.

Et

Et licet sciam me extremè indignissimum, imò execrandum & abominandum peccatorem, de ineffabili tamen pietate tua confisus, eò modo & intentione ad hanc sacratissimam corporis & sangvinis tui participationem accedo, ut amore amoris & gloriæ tuæ parvi pendam (etiam si possibile esset) quòd magnam damnationem mihi in Sacramento sumerem, ut tantummodo divina pietas tua magis clarescat per hoc, quod te tam indigno non dedignaris communicare.

*Dum jam es sumpturus SS. Euchari-
stiam, dic:*

Veni bone JEsu, veni sponse animæ meæ: & in illo amore, quo intrâsti in uterum Virginis, intra in pauperculum cor meum, &c.

PRECES
POST S. COMMUNIONEM.

*Oratio I. S. Thomæ Aquin. Ecclesiæ
Doctoris.*

GRatias tibi ago Domine sancte, Pater omnipotens, æterne DEus, qui

me

me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ satiare dignatus es pretioso corpore & sangvine Filij tui Domini nostri JEsu Christi.

Et precor ut hæc sancta communio, non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam: sit mihi armatura fidei, & scutum bonæ voluntatis: Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ & libidinis exterminatio: charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ, omniúmqne virtutum augmentatio, contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quàm invisibilium firma defensio: motuum meorum, tam carnalium quàm spiritualium perfecta quietatio: in te uno ac vero DEo firma adhæsio, atque finis mei felix consummatio. Et precor te ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo & Spiritu Sancto, Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, & felicitas perfecta: Per Christum Dominum &c.

Oratio

Oratio II. S. Bonaventuræ Ecclesiæ Doctoris.

TRansfige dulcissime Domine JESU medullas & viscera animæ meæ, suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera serenáque & Apostolica sanctissima charitate, ut langveat & liquefiat anima mea solo semper amore & desiderio tui, te concupiscat & deficiat in atria tua, cupiat dissolvi & esse tecum. Da ut anima mea te esuriat panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem & saporem, & omne delectamentum suavitatis, te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat & comedat cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ: te semper sitiat fontem vitæ, fontem sapientiæ & scientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domûs Dei, te semper ambiat, te quærat, te inveniat ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, & omnia operetur, in laudem & glo-

gloriam nominis tui cum humilitate & discretione, cum dilectione & delectatione, cum facilitate & affectu, cum perseverantia usque in finem, & tu sis semper solus spes mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies & tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa & firma, & immobiliter semper sit radicata mens mea, & cor meum. Amen.

Oratio III. ad JEsum.

INeffabilem misericordiam tuam Domine JEsu Christe humiliter exoro, ut hoc Sacramentum corporis & sangvinis tui, quod indignus suscepi, sit mihi purgatio scelerũ, sit fortitudo fragiliũ, sit contra mundi pericula firmamentũ, sit impetratio veniæ, sit stabilimentum gratiæ, sit medicina vitæ, sit memoria tuæ passionis, sit contra debilitatem fomentum, sit viaticum meæ peregrinationis; euntem me suscipiat, titu-

titubantem me teneat, cadentem me erigat, & perſeverantem me in gloriam introducat: ô altiſſime DEus, beatiſſima præſentia corporis & ſangvinis tui ſic immutet palatum cordis mei, ut præter te nullam unquam ſentiat dulcedinem, nullam amet pulchritudinem, nullum quærat illicitum amorem, nullam deſideret conſolationem, nullam admittat unquam delectationem, nullum curet honorem, nullam timeat crudelitatem. Qui vivis &c.

Oratio IV ad B. V. P. Petri Caniſii S. I.

COmmendo tibi ſereniſſima, verèque inclyta Virgo Maria cæli ac terræ Regina, quæ in tuo ſacratiſſimo utero eundem Dominum & omnium creatorem, quem ego modò ſuſcepi de Spiritu Sancto conceptum dignè portâſti: Precor te Matrem DEi ſanctiſſimam ut pro me apud eundem Filium intercedas, & quacunque ratione in ſummi Sacramenti hujus ſumptione deliqui, hujus negligentiæ & indignitatis meam veniam impetres. Tu ſemper pura, caſta, innocens, poſt con-

ceptum Filium, etiam castior, purior & sanctior, DEoque gratior evasisti: utinam & ego tam divini Sacramenti perceptione, ita sanctificer, ut deinceps cor & corpus meum, ab omni lethalis peccati macula tuear impollutum. Tu concepto Filio de Spiritu Sancto magnificas laudes Domino lætè decantâsti, & in DEo salutari tuo mirabiliter exultâsti. O si tuis efficacibus precibus id assequar Virgo Mater, ut cum hac sacra communione, novum & ardentem spiritum concipiam, ac semper in gratiarum actione pia verser, tantoque Redemptori & hospiti me nunquam ingratum, sed fidum in omnibus ministrum ostendã. A.

Piæ aspirationes ad Christum.

INveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam. Te, mi Jesu, amplector, & amoris mei gaudium obtineo. Te cordis mei thesaurum comprehendo, in quo omnia possideo. Sentiat obsecro, mens mea virtutem præsentiæ tuæ: gustet, quàm suavis sis Domine; ut amore tui capta, nil extra te quærat, nil dili-

diligat, nisi propter te. Tu es Rex meus, ne obliviscaris inopiæ & tribulationis meæ. Tu es Judex meus, parce peccatis meis, & miserere mei. Tu es Medicus meus, sana omnes infirmitates meas. Tu es Sponsus animæ, sponsa te mihi in sempiternum. Tu es Dux & defensor meus, pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. Tu Victima pro me factus es, & ego tibi Sacrificabo hostiam laudis. Tu Redemptor meus es, redime de manu inferni, & salva me. Tu es Deus meus & omnia. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Piæ aspirationes.

Mirantur ô bone JEsu creaturæ omnes, te in purissimum Mariæ Matris tuæ uterum descendisse, cùm tamen integerrima illa, & omni virtute ac gratiâ refertissimâ fuerit. An non mirari magis debent: voluisse te in me ingredi, à me recipi, à me teneri, deformi, inopi, sordido.

Benedicant te omnes Angeli tui, bone

ne JEſu, quia quod proprium eſt ſponſi & ſponſæ, tibi me vis inſeparabili vinculo conjungere: effice ergo, te ut unum diligam, te unum ut ſitiam & amem ac nullæ me mundi illecebræ nulla carnis voluptas, nullæ dæmonum inſidiæ, abs te avellant & ſeparent.

Da mihi præſentiæ tuæ effectus perſentiſcere bone JEſu: Memini benedictionum, quibus cumulâſti eos, qui te aliquando in domum ſuam acceperunt. Mariam Matrem tuam, ubi in uterum te ſuum accepit, omnibus donis, & gratijs complevisti. Zachæum illum publicanorum principem, quòd te acceperit hoſpitio, cæleſti benedictione cumulâſti. Domum Obededom, in qua arca teſtamenti, hujus Sacramenti umbra tantùm & figura, repoſita fuit, omni benedictione locupletâſti: da quoque domui meæ, in quam ingreſſus es, benedictionem; eam, quæſo, in paradiſum converte, eam donis tuis, & gratiis cumula.

Memini pientiſſime JEſu, ſacris de te literis eſſe mandatum, quòd omnis tur-

turba quærebat te tangere, quia virtus à te exibat, & sanabat omnes. Ecce ego te jam non tetigi tantùm, sed in me quoque accepi: exeat, quæso, à te virtus, quæ omnes langvores meos sanet, quæ vires novas sufficiat ad serviendum tibi, & resistendum suggestionibus inimici.

Simul atque anima tua pretiosissima ex sacratissimo tuo corpore egressa est, ô JEsu pro nobis crucifixe, voluisti corpus tuum, myrrha & aromatis conditum, sindoneque purissimâ involutum, inferri in sepulchrum, petra benè munitum, & jam toto orbe gloriosum. Et ecce modo (quæ tua est incomprehensibilis bonitas) corpus idem tuum, à morte suscitatum, animaque beatissima informatum mihi porrigis, in me, ut in sepulchrum aliquod inferam, in me, ut illud recondam. Da ergo mihi obsecro fortitudinis petram ad vincendas omnes imperfectiones, & ferendas omnes adversitates, labores, & pericula omnia, quæ pro tuo honore, & mea salute mihi

ſunt ſuſtinenda. Da quoque mihi ſindonem charitatis & puritatis. Dona poſtremo myrrham mortificationis, ut hujus diviniſſimi Sacramenti gratiâ delibutus, à criminibus purus & integer, nullo mortiferæ perturbationis veneno inficiar, & corrumpar, ſed odor & mihi & omnibus alijs ſim in vitam: tibi verò in nominis tui gloriam ſempiternam. Amen.

Oblatio ad Sanctos.

BEatiſſima Virgo Maria, ecce Filium tuum, quem immaculato utero tuo concepiſti, genuiſti, lactâſti, atque ſuaviſſimis amplexibus ſtrinxiſti. Ecce cujus aſpectu lætabaris & omnibus delitijs replebaris, illum ipſum, quem inæſtimabili divinæ bonitatis dignatione hodie dono datum in corpus & animam meam ſuſcepi, tibi humiliter & amanter repræſento, & offero tuis brachijs conſtringendum, tuo ore exoſculandum, tuo corde amandum, & unà mecum, imò pro me adorandum: nec non & SS. Trinitati in ſupremum latriæ cultum, pro meis totiusq; mundi neceſſitatibus offe-

offerendum: ut quod meis meritis non præsumo, tuæ prærogativâ dignitatis in hac oblatione suppleatur.

O vos dilectissimi Patroni mei, ecce Dominum & Sponsum vestrum JEsum Christum, quem viventes in carne totâ mente dilexistis, vos omnes & singulos saluto per eum, quem modo in Sacramēto suscepi, & in singulare augmentum gaudij, gloriæ ac beatitudinis vestræ offero vobis eum cum omni amore & fidelitate, quam in tempore vobis exhibuit, & modo in æternitate, incessanter exhibet: orans, ut eundem pro me adoretis & colatis, atque SS. Trinitati pro meis totiusque Ecclesiæ necessitatibus, proq; gratiarum actione omnium beneficiorum mihi collatorum summâ devotione offeratis. Et quidquid per me impetrare nequeo, vestris meritis & precibus impetrare merear. Amen.

Gratiarum Actio.

COr meum & anima mea, cum totâ substantiâ carnis meæ, omnibusque sensibus & viribus corporis & spiritûs mei, cum universitate totius creaturæ

laudes & gratiarũ actiones dicant tibi, dulcissime Jesu, fidelissime amator humanæ salutis, pro dignissima misericordia tua, quàm mihi servorum tuorum indignissimo in sacratissimo corporis & sangvinis tui convivio exhibuisti. O dulcissime DEus, licet omnia & singula momenta vitæ meæ non nisi continuæ gratiarum actiones essent non tamen responderem tibi unum pro mille. Ideo insufficientiam meã agnoscens offero tibi ô B. Trinitas omnes illas laudes & gratiarum actiones, quas sacratissima humanitas Domini nostri Jesu Christi toto tempore vitæ suæ, maximè cùm hoc Sacramentum instituit, tibi persolvit. Suscipe, ô pie Pater, & illas, tibi offero, gratiarum actiones, quas B. V. Maria, omnesque Sancti & Sanctæ Dei tibi unquam, maximè cùm hoc Sacramentum susceperunt, toto cordis ac mentis affectu persolverunt: & concede propitius, ut omnis mea insufficientia & negligentia, eorum abundantiâ & perfectione suppleatur. Amen.

HOc igitur SS. Sacramentum, ô Chri-

ste JEsu, quod ex intimis tui amorosi cordis produxit efficax dulcor tuæ investigabilis divinitatis, quodque mihi tam benignè modò communicâsti, offero tibi ex affectu totius universitatis, in unione illius excellentissimæ charitatis, quâ tu altissimi Patris unigenitus omnē influxum divinitatis, qui in tuam deificatam humanitatem descendit, cum plenâ gratitudine offerens refudisti in abyssum originis tuæ. Orans cum desiderio & affectu omnium creaturarum, ut ipsum tibi intrahas per affectum suavissimi spiritus tui in laudem æternam, immensam & incommutabilem, quam inscrutabilis sapientia tua altissimè cognoscit superexcellentem Dei Patris omnipotentiam condecere, ac inæstimabiliter suavifluam Spiritûs sancti benevolentiam oblectare. Nec non & in plenè sufficientem gratiarum actionem omnis boni & gratiæ, quam, per idipsum operatus es, & in æternùm operaberis in corde & anima ipsum recipientis. Item & in dignam emendationem omnium, in quib9 negligentius studium præpara-

paratio & devotio mea omiſit idipſum dignè ſuſcipere. Et demum in ſummam gratiarum actionem, quod incomprehenſibilis bonitas tua, me extremæ vilitatis vermiculum admittere dignata eſt ad regale convivium cæleſtium delitiarum tuarum. Pro quo cùm in nullo parvitas mea, tibi reſpondere poſſit, offero tibi cor tuum dulciſſimum ac unicè digniſſimum in ea dignitate, quâ plenum eſt divinâ gratitudine, ac omnimodæ beatitudinis perfectione ſuperexcellens in perpetuum. Amen.

Modus, quò P. Iulius Mancinellus Societ. I. utebatur in S. Communione.

Ante Sacram Comm: petebat à Deo Patre.

INeffabilem miſericordiam tuam Deus æterne, Pater omnipotens humiliter exoro, ut Filium tuum unigenitum eo mihi affectu in ſanctiſſima Euchariſtia, & cum illa cæleſtium donorum copia largiaris, cum qua eum Virgini ſacratiſſimæ in Incarnatione dediſti

A Deo Filio.

Obſecro te Unigenitum Dei Patris Verbum, ut te cum eo affectu, & cum

illa

illa cæleſtium donorum plenitudine animæ meæ peccatrici communices, cum qua te communicare dignatus es Matri tuæ ſanctiſſimæ in tua Incarnatione.

A Spiritu ſancto

Te quoque dator bonorum omnium, & gratiarum largitor, deprecor, ut ità præpares & diſponas cordis mei tabernaculum ad recipiendum SS. Sacramentum, & per illud tantum donorum tuorum benignè impertiri digneris; ſicut præparâſti, & diſpoſuiſti corpus & animam beatæ Virginis ad Verbum æternum concipiendum, & quantum per illud eidem gratiarum contuliſti.

A B. Virgine.

O Intemerata, & in æternum benedicta ſingularis, atque incomparabilis Virgo Dei Genitrix Maria, obſecro te, ut mihi impetres, tantum erga Chriſtum Dominum in Euchariſtia recipiendum amorem, quanto eum proſecuta es, dum eum in ulnis geſtares.

A SS. Angelis.

Vos beatæ mentes Angelicæ imploro, & humiliter exoro, ut mihi tantam

xeve-

reverentiam à Domino vestro impetrare velitis, quantâ ei, & in terris commoranti servistis, & quantâ nunc in cælis ad ejus obsequium vos impenditis.

A. SS. Omnibus.

Vestris meritis omnium Sanctorum Spiritus impetrare mihi dignemini, tantam devotionem, & tantam abundantiam virtutum, ad dignè recipiendum Redemptorem nostrum, cum quanta in carne mortali viventes SS. Eucharistiam recipiebatis, aut Missæ sacrificium offerebatis.

A Christo Domino.

Rogo te Domine JEsu Christe per tuam SS. humilitatem, ut eo te mihi velis communicare affectu, cum quo suscipere, dignatus es carnem fragilitatis nostræ, & cum quo eam pro nobis mortuus exposuisti, ut cum ea plenitudine virtutum corpus tuum degustare merear: quæ quàm maximè correspondeat efficaciæ meritorum vitæ, passionis, & mortis tuæ, & per hanc plenitudinem virtutum humanitas mea reddatur, quàm simillima sanctitati humanitate

nitatis tuæ, ut fiam membrum proportionatū quàm maximè tibi capiti meo, siquidem tu es caput nostrum, & corpora nostra, membra sunt tua, & nos membra sumus corporis tui de carne tua, & ossibus tuis.

Niteant puritate, & sanctitate membra nostra Domine, ut huic Sacramento, quod indignus suscepi, mereantur incorporari, & inter ejus mēbra numerari.

In actu Comm. cum Christo sic agebat.

1. Benedictus sis Domine JEsu Christe pro tua summa charitate, doloribus, & patientia, quam in me usque ad hanc horam habere dignatus es.

2 Proinde tibi omnem vitam meam, cogitationes, ac sensus meos offero, omnia membra, actiones tam internas, quàm externas, tu dirige ad laudem, & gustum tuum quàm maximum, ut pro tua clementia, ac bonitate me quoddam exemplar, & veluti imaginem humanitatis tuæ efficias.

3. Deprecor autem immensam clementiam tuam, ut transfigas viscera animæ meæ saluberrimo amoris tui vulnere,

nere, langveat semper desiderio tui, & in tuo fideliter perseveret obsequio. Da ut anima mea nullam præter te sentiat dulcedinem, nullam desideret consolationem. Reple cor meum dulcedine saporis tui, & torrente ubertatis æternæ inebria, ut omnia propter te amara sincerè amplectatur & in crucis tuæ desiderio emoriatur.

1. Gratias ago, adoro & benedico te Pater cœlestis omni affectu possibili in tua æternitate, immensitate, infinitate, in persona Christi Unigeniti Filii tui, B. Virginis Matris ejus sanctissimæ, Angelorum SS. & omnium beatorum spirituum, omniumq; creaturarum

2. Complacui mihi Domine super omnia bona, in tua Deitate & felicitate, de tua gloria, & honore, de voluntate & operibus, quæ tam erga me, quàm alias creaturas declarare non cessas.

3. Insuper offero tibi dilectissimi Filij tui merita, beatæ Virginis, ac SS. omnium ad laudem & gloriam tuam, & cum meritis Domini mei, omnes cogitationes, sermones, actiones & passio-

nes

nes meas, ex quibus lauderis in æternum, Amen.

III.
METHODUS
fructuosè audiendæ Concionis.

1. *CONcio à qualicunque legitimo Ecclesiæ ministro, tametsi exigua eruditionis aut sanctitatis sit, tanquam ab ore DEi excipienda est, qui sic cuivis legitimo Concionatori loquitur. Isaiæ* 51. 61. Posui verba mea in ore tuo. *Thessalonicenses hoc modo conciones audivisse testatur Apostolus 1 Thess.* 2. 13 Gratias agimus DEo sine intermissione: quoniam cũ accepissetis à nobis verbum auditûs DEi, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum DEi. Non vos estis (*ait Christus suis discipulis Matth.* 10. 2 .) qui loquimini sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. *Nemo qui ad concionem audiendam accedit, putet se Concionatore esse doctiorem. Audiatur S. Ambr l.* 1. *offic. c.* 1. Quantumlibet quisque profecerit, nemo est qui doceri non indigeat. *Et l.* 2. *in Lucam,* DEi Mater à pa-

floribus sacram instructionem accepit. *S. August. epist 75* Senex à juvene Episcopus, tot annorum paratus sum discere. *Luc.* 11. Beati qui audiunt verbum DEi, & custodiunt illud.

8. R*Ecta intentione accedendum, non ex curiositate, sed ut vitam in melius emendemus, Cor per actum contritionis mundandum est;* Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. *Sap.* 4. *Curæ deinde seponendæ sunt, his enim verbum DEi suffocatur. Luc.* 8.

Nihilominùs etiam sinè hac præparatione verbum DEi audivisse sæpè profuit S. Antonius fortuitò templum ingressus, audiit has verba Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. *Matth.* 19. *Quibus ille permotus extemplò abdicatis omnibus Christum est secutus. Laborandum est, ut opere expleatur, quod auribus excepimus; ait enim Dominus Isai.* 55. 11 Verbum meum non revertetur ad me vacuum; sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. *Queruntur Domi-*

no

no *Ezechiel c. 33.* Audiunt sermones tuos, & non faciunt eos. *Sequamur adhortantis Apostoli Jacobi verba c. 1. 22.* Estote factores verbi, & non auditores tantùm: fallentes vosmetipsos. Non enim auditores legis (*inquit Apost. Rom. 2. 13*) justi sunt apud DEum, sed factores legis justificabuntur.

Oratio ante Concionem.

DOmine JEsu Christe, qui è sinu Patris in hunc mundum Doctor venisti, ut miseris mortalibus voluntatem Patris annuntiares, & viam salutis eos doceres, ecce ad verbum tuum audiendum accedo, & jam antea tot annis accessi: sed cum exiguo fructu animæ meæ. Accessi ad lumen & non sum illuminatus, ad panem vitæ, & fame pereo; ad ignem, & frigeo; ad medicum, & infirmor; imber divinorum liquorum in terram meam sine intermissione cadit & tamen nihil nisi spinas & tribulos producit. Magnum beneficium est, ô Domine, quod semen divini Verbi nobis reliquisti, alioquin sicut Sodoma & Gomorrha possemus.

Magnum quoq;beneficium,quòd mittas opportunos in vineam tuam operarios: quòd Doctores nobis relinquas,sed frustra docent illi foris, nisi tu moveas intus. Obsecro itaq; ô bone Jesu,aperi aures cordis mei, ut quod per aures corporis instillatur, ad medullas usq; spiritus penetret, ibiq; salutares effectus operetur, ne Verbum tuum vacuum ad te revertatur. Da ne quòd hac hora in me incidet semen, præfocetur sentibus curarum hujus sæculi, ne exarescat defectu roris cælestis in tempore tribulationis, ne diripiatur ab avibus cæli, sed germinet in terra bona, & æternæ vitæ fructum proferat, ut te diligam & laudem, qui es laudabilis & gloriosus in sæcula. Amen.

Oratio post Concionem.

GRatias tibi ago Domine Jesu Christe, quòd Verbo tuo me reficere dignatus sis. Oro, ut apud me sit efficax & salutaris Verbi hujus perceptio, ne sine fructu depereat cælestis illa sementis. Tu es qui dixistis; Verbum quod egreditur de ore meo, non revertetur

ad me vacuum. Non revertatur oro, vacuum Verbum tuum à me auditum. Da gratiam, ut vita mea doctrinæ nunc perceptæ respondeat.

IV.

METHODUS
se disponendi ad lucrandas Indulgentias.

TRiplex potissimum fructus nobis ex quovis bono opere provenit, meritum, satisfactio & impetratio. *Sed uti divina benignitas infirmitati & tenuitati nostræ prospexit, ut per sacramentorum usum ex opere operato* meritũ *nostrum in immensum augeamus*: per *Sanctorum verò patrocinia, Ecclesiæque preces multa quamvis nihil operantes*, impetremus: *Ita thesaurum indulgentiarum nobis reliquit, ex quo per applicationem satisfactionis Christi & Sanctorum uberem ac celerem pro pœna temporali, in hac vel altera vita exsolvenda haberemus* satisfactionem.

INdulgentiarũ nomine intelligitur remissio pœnæ temporalis, cujus per peccata facti sumus rei: *Remittitur quidem per* Sacramentum Pœnitentiæ, *aut per* actum

perfectæ contritionis *omne peccatũ quamlibet grave quoad* culpam, *& huic annexam* pœnam æternam; *non semper tamen omnis reatus pœnæ temporalis simul remittitur; sed hic vel per insignem pœnitentiam, vel per opera satisfactoria, v. g. orationes, eleemosynas, jejunia, &c. vel per patientem tolerantiam adversitatum, vel per* Satisfactionem Christi Domini & Sanctorum *nobis applicatam ab habente potestatem, deletur.*

AD *lucrandas Indulg. requiritur ut simus in statu gratiæ, h. e. nullius gravis peccati rei. Hinc tam seriò à Pontificibus Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ præmittenda indulgentiis lucrandis præscribuntur. Nam indulgentiæ tantùm tollunt reatum pœnæ, culpam supponunt esse sublatam. Et quamvis pœna reservata culpa remissa possit, non tamen potest remitti pœna manente culpa. Proinde indulgentias lucraturis sibi dictum putent illud Jerem. 4.* Novate vobis novale, & nolite serere super spinas. *Saltem curandum ut ultimum opus ad lucrandas indulgentias requisitum, fiat in statu gratiæ.*

FRE-

PRECES

Ad lucrandas (*tam intra quàm extra tempus jubilai*) plenarias indulgentias: vel Sibi, vel Animabus in purgatorio applicandas.

Oratio præparatoria.

OMnipotens sempiterne DEus, cujus misericordiâ à peccatis omnibus, æternæque damnationis reatu me absolutum confido, quamvis temporalibus pœnis obnoxius permaneam: cùm verò his diluendis opera mea non sufficiant, ad inexhaustum meritorum unigeniti Filij tui Domini nostri JEsu Christi, sanctorumque thesaurum confugio, ut hujus abundantiâ tenuitati & indigentiæ meæ subveniatur. Promptum me ad omnia, quæ hunc in finem præstanda sunt, offero. Suscipe ea, ô Pater misericordiarum, in unione Passionis & Mortis ejusdem Filii tui, plenariæque hujus indulgentiæ me licet indignum fac participem, Amen. Pater noster, &c. Ave Maria &c.

1. *Oratio ad DEum Patrem, pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ.*

MEmento, ô Pater æterne, congregationis tuæ, quam possedisti ab initio. Agnosce Ecclesiam velut SPONSAM unigeniti Filij tui, pro qua ipse sangvinem suum profundere non dubitavit; hanc, obsecro, sanctitatis decore, gratiarum opibus, hæreditatis amplitudine ita exalta; ut digna compareat tali SPONSO, tantoq; redemptionis pretio. Respice benignè ejusdem Sanctæ Matris filios, eorumque numero universas gentes associa, ut omnes te DEum Patrem, & quem misisti JEsum Christum, unà cum Sancto Spiritu fide vivâ agnoscant, spe firmâ invocent, & charitate perfectâ complectantur. Amen. Pater noster. Ave Maria &c.

℣. Vide Domine, & visita vineam istam.
℟. Et perfice eam, quam plantavit dextera tua.

Oremus

REspice, quæsumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus

minus noster JEsus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentum. Qui tecum &c.

2. Oratio ad DEum Filium, pro extirpatione hæresum.

O JEsu, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Fac, oro, per inæstimabilem passionis & mortis tuæ virtutem, ut pulsis hæresum & errorum tenebris, veritatis tuæ lumen omnes amplectantur, & in optatum Ecclesiæ tuæ gremium confluant. O Pastor bone, qui animam tuam pro ovibus tuis posuisti, gregem tuum protege, & contra vim insidiasque eorum defende, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Fac, ut unum omnes pastorem admittant, & unum omnium sit ovile. Mane nobiscum Domine, quoniam dixisti: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Ostende Ecclesiam tuam ædificatam esse super petram, & portas inferi non præ-

valere adversus eam. Pater noster. Ave &c.

℣. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.

℟. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Oremus

ECclesiæ tuæ, quæsumus Domine, preces placatus admitte, ut destructis adversitatibus & erroribus universis, securâ tibi serviat libertate. Per Dominum nostrum &c.

3. Oratio ad Spiritum S. pro concordia Christianorum Principum.

O Sancte Spiritus, Spiritus amoris & pacis, qui tot tamq; diversas gentes in unitate fidei congregasti: largire Christianis Principibus, eorumq; consiliariis abundantiã tuæ gratiæ, novoq; charitatis tuæ mandato, quod abiens ex hoc mundo discipulis tuis dedisti, eorum corda imbue, ut ex hoc omnes agnoscant, eos in numero electorum tuorum censendos, & Christiano nomine dignos esse. Fac, ne ullâ unquam cupiditate abducti quicquam molian-

tur, quod divinæ tuæ gloriæ, concordiæq; Ecclesiæ adversetur. Sed unitis potius viribus ad pacis æternæ visionem, ad cælestem Hierusalem populum sibi subjectum unà secum perducere nitantur, Amen. Pater. Ave &c.

℣. Fiat pax in virtute tua.

℟. Et abundantia in turribus tuis.

Oremus.

DEus, à quo sancta desideria, recta consilia, & justa sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per Dominum &c.

Oratio ad SS. Trinitatem.

Quâ *peractorum operum ad indulgentias lucrandas præscriptorum fit oblatio.*

PRæstitisse nunc videor, ô Sanctissima Trinitas, quæcunque ad plenariam debitarum pœnarum indulgentiam impetrandam præscripta fuerunt. Hæc & multò plura absque eo divinæ Majestati tuæ, utpote

innumeris eidem nominibus obstricti præstare nos oportuisset, Infinitæ bonitati tuæ, profusæq; in nos licèt indignissimos liberalitati tribuendum est, quòd tam cumulatè vilissima debitæ servitutis nostræ opera remunereris. Suscipe ergò, ô B. Trinitas, à me quomodocunq; præstita opera, & fac, ut horum defectus Passione & Morte Domini nostri JEsu Christi, ejusdemque pro nobis pretiosissimo effuso sangvine suppleantur: atque ita me (*vel* animam istam) plenariæ hujus indulgentiæ fac participem. Pro quo beneficio tibi cælum & terra mecum laudes, & gratiarum actiones cantent, nunc & in perpetuum. Amen. Pater. Ave &c. Te DEum laudamus, &c. *vide in offic. B. V. MARIÆ.*

INDULGENTIÆ

Sodalibus Congregationum B. Mariæ Virginis in Collegiis Societatis JESU institutarum communes.

JUXTA BULLAM

Erectionis Congregationum datam à GREGORIO

GORIO XIII. *Pontifice, anno* 1584. *Sodales post factam ritè Confessionem & sumptum SS. Eucharistiæ Sacramentum, consequuntur.*

INDULGENTIAM Plenariam.

1. Die quo admittuntur ad corpus Sodalitatis.

2. In articulo mortis.

3. In festivitate Titulari erectæ propriæ Congregationis. *Hac die etiam alij Christi fideles utriusque Sexûs in loco ejusdem Festivitatis Confessi & Sacrâ Communione refecti, Indulgentiam plenariam lucrantur.*

4. Festis diebus Natalis & Ascensionis CHRISTI, Annuntiationis, Assumptionis, Conceptionis, & Nativitatis B. MARIÆ Virginis. INDULGENTIAM unius anni. *Consequuntur Sodales toties quoties:*

1. Sepulturam Defunctorum Sodalium, vel aliorum Christi fidelium comitantes.

2. Infirmi vel impediti orantes Pater noster, & Ave Maria, pro defuncto vel infirmo.

3. Qui intersunt Cœtibus tum publicis, tum privatis.

4. Qui Spiritualibus colloquiis & Exhortationibus, item divinis Officiis & piis Exercitijs intersunt.

5. Sacrificium Missæ diebus ferialibus audientes.

6. Examen Vespertinum facientes.

7. Pauperes, infirmos, detentos carcere visitantes.

8. Inter inimicos pacem conciliantes.

Præterea Indulgentias Stationum lucrantur in Quadragesima & aliis diebus Stationum, quando septies Pater noster, & Ave Maria recitant.

Commendatio Sodalis Mariani ad B. Virginem.

CОrdi, quæsumus, tibi sit ô Pretiosissima Mater, universi cœtûs tui famulatus: omnibus nobis impetra cor purum: ut qui nos sub tuo Materno præsidio securos esse lætamur, opem gratiamq; nobis te intercedente, sentiamus adesse perpetuam. Amen.

PARS QUARTA.

De Cultu Sanctissimæ Trinitatis.

SAnctissimæ Divinarum Personarum Trinitati quantum simus obligati, inde patet: quòd quicquid boni actum est, vel agitur in mundo, totum processit, & procedit, indivisibiliter ab omnibus tribus Personis, unicâ Voluntate, & unicâ Omnipotentiâ operantibus; cùm omnes unam eandemq; Naturam participent. Nihilominus ob specialem rationem Patri æterno tribuitur Creatio mundi, Filio Redemptio, Spiritui S. Sanctificatio, seu Iustificatio nostra. Necesse è igitur est, huic Divinarum Personarum Trinitati nos toto corde & ingenio addictos esse, & quidquid possumus in ejusdem cultum contribuere. præsertim cùm in ipsius clara visione, tota atq; æterna consistat Beatitudo nostra.

OFFICIUM SS. TRINITATIS.

AD MATUTINUM.

Benedicta sit sancta & individua Trinitas, nunc, & semper, & per infinita sæcula sæculorum. Amen.

℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudẽ tuam.
℣. DEus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, &c. Alleluja. *A Septuagesima usq; ad Pascha dicitur loco* Alleluja, Laus tibi Domine, Rex æterne gloriæ.

Hymnus.

O Lux beata Trinitas,
Et principalis Unitas,
Jam sol recedit igneus,
Infunde lumen cordibus.

Antiph. Benedicta sit sancta Creatrix & Gubernatrix omnium, sancta & individua Trinitas, nunc, & semper, & per infinita sæcula sæculorum. Amen.

℣. Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu.
℟. Laudemus & superexaltemus eum in sæcula.

Ore-

Oremus

OMnipotens sempiterne DEus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia Majestatis adorare unitatem: quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dom. &c.

AD PRIMAM.

Benedicta sit sancta & individua Trinitas, nunc, & semper, & per infinita sæcula sæculorum. Amen.

DEus in adjutorium meum &c.

Hymnus.

ORtus refulget lucifer,
Sparsamque lucem nuntiat:
Cadunt tenebræ noctium,
Lux sancta nos illuminet.

Ant. Gratias tibi DEus, gratias tibi vera & una, una & summa Deitas, sancta & una Unitas.

℣. Benedicamus Patrem, &c. *cum oratione ut suprà.*

AD TERTIAM.

Benedicta sit sancta & individua Trinitas, nunc, & semper, & per infinita

sæcula

ſæcula ſæculorum, Amen.

DEus in adjutorium meum &c.

Hymnus

SUmmæ DEus clementiæ,
Mundique factor machinæ,
Unus potentialiter,
Trinusque perſonaliter.

Ant. Te invocamus, te laudamus, te adoramus, ſpes noſtra, honor noſter, libera nos, vivifica nos, ô beata Trinitas.

℣. Benedicamus Patrem, &c. *Oratio p.* 194.

AD SEXTAM.

Benedicta ſit ſancta & individua Trinitas, nunc, & ſemper, & per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

DEus in adjutorium meum &c.

Hymnus.

DA dexteram ſurgentibus,
Exurgat ut mens ſobria,
Flagrans & in laudem DEi,
Grates rependat debitas.

Ant. Charitas Pater eſt, gratia Filius communicatio Spiritus Sanctus: verax eſt Pater, veritas Filius, veritas Spiritus Sanctus: Pater, & Filius, & Spiritus

S. una substantia est, ô beata Trinitas.

℣. Benedicamus Patrem, &c. *Oratio p.* 194

AD NONAM.

Benedicta sit sancta & individua Trinitas, nunc, & semper, & per infinita sæcula sæculorum. Amen.

DEus in adjutorium meum &c.

Hymnus.

TU Trinitatis Unitas,
Orbem potenter quæ regis,
Attende laudis canticum,
Quod excubantes psallimus,

Ant. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, in sæcula sempiterna, & benedictum nomen gloriæ tuæ, sanctum & laudabile, & superexaltatum in sæcula, ô beata Trinitas.

℣. Benedicamus Patrem, &c. *Oratio p.* 194

AD VESPERAS.

Benedicta sit sancta & individua Trinitas, nunc, & semper, & per infinita sæcula sæculorum. Amen.

DEus in adjutorium meum &c.

Hymnus.

TE manè laudum carmine,
Te deprecemur vespere,

Te

Te noſtra ſupplex gloria,
Per cuncta laudet ſæcula.

Ant Te DEum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum S. Paraclitum, ſanctam & individuam Trinitatem toto corde & ore confitemur, laudamus atq; benedicimus, tibi gloria in ſæcula

℣. Benedicamus Patrem, &c. *Oratio p.* 194

AD COMPLETORIUM.

Benedicta ſit ſancta & individua Trinitas, nunc, & ſemper, & per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

℣. Converte nos DEus ſalutaris noſter.
℟. Et averte iram tuam à nobis.
DEus in adjutorium meum &c.

Hymnus.

GLoria tibi Trinitas,
Æqualis, una DEitas,
Et ante omnia ſæcula,
Et nunc, & in perpetuum.

Ant. Gloria Patri, qui creavit nos. Gloria Filio, qui redemit nos. Gloria Spiritui ſancto, qui ſanctificavit nos: Gloria ſummæ & individuæ Trinitati, DEO noſtro in ſæcula ſæculorum.

℣. Be-

℣. Benedicamus Patrem, &c. *Oratio p. 194*
Commendatio.

HAs horas canonicas cum devotione,
Dixi sancta Trinitas, tuî ratione;
Ut sis mihi præsens mortis in agone,
Et regnem jugiter in cæli regione. A.

LITANIÆ
SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Pater, ex quo omnia,
Fili, per quem omnia,
Spiritus Sancte, in quo omnia,
Sancta & individua Trinitas, unus Deus
Incomprehenſibilis Majeſtas,
Immutabiliis potentia,
Infinita ſapientia,
Inexhauſta bonitas,
Imperialis dignitas,
Legalis divinitas,
Æterna veritas,
Rex omnipotens DEus,
Qui ſolus es, & unus DEus,
In quo vivimus, movemur, & ſumus,
Cujus Majeſtate repleta eſt omnis terra.
Cui ſoli debetur honor & gloria,

Miſerere nobis.

Qui consolaris nos in tribulatione
nostra.
Qui facis mirabilia magna solus,
Qui es, qui eris, & qui venturus es.
In judicio justus & terribilis.
In regno gloriosus & admirabilis,
Pater ingenite,
Fili unigenite,
Spiritus Sancte ab utroq; procedens.
Miserere nobis.
O beata Trinitas unus DEus,
Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato,
Ab omni infidelitate,
A mandatorum tuorũ transgressione,
A donorum tuorum contemptu,
A rerum sacrarum neglectu,
A morte perpetua,
Per omnipotentiam tuam,
Per infinitam bonitatem tuam,
Per magnam misericordiam tuam,
Per patientiam & longanimitatẽ tuã.
Libera nos Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut te DEum verum, semper & ubique
confiteri nobis dones, te rog

Ut te DEum unum in Trinitate venerari, & Trinitatem in Unitate adorare concedas,

Ut te toto corde diligere nobis concedas.

Ut populum sancto tuo nomini sacratum conservare & salvare digneris.

Errantibus, ut in viam possint redire justitiæ, concedere digneris,

Ut omnibus Fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris,

Ut nos exaudire digneris.

Te rogamus audi nos.

O beata Trinitas, Libera nos.

O beata Trinitas, Salva nos.

O beata Trinitas, Vivifica nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c

℣. Benedicamus Patrem, & Filium, cum Sancto Spiritu.

℟. Laudemus & superexaltemus eum in sæcula.

℣. Benedictus es Domine in firmamento cæli.

℟. Et laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula.

℣. Benedicat nos DEus, DEus noster, benedicat nos DEus.
℟. Et metuant eum omnes fines terræ.

Oremus.

OMnipotens sempiterne DEus, qui dedisti, famulis tuis in confessione, veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia Majestatis adorare Unitatem: quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominũ &c.

Benedicat nos divina Majestas, & una Deitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, Amen.

Te Deum laudamus, *vide in offic. B. V. M*

Symbolum S. Athanasii.

QUicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram inviolatámque servaverit, absque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur.

Neque confundentes Personas; neque

que substantiam separantes.

Alia est enim Persona Patris, alia Filii, alia Spiritûs Sancti:

Sed Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus

Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres æterni, sed unus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus & unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Dij, ſed unus eſt Deus.

Ità Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Domini, ſed unus eſt Dominus.

Quia ſicut ſingillatim unamquamque Perſonam, Deum ac Dominum confiteri, Chriſtianâ veritate compellimur, ita tres Deos aut Dominos dicere Catholica religione prohibemur.

Pater à nullo eſt factus: nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus.

Spiritus ſanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres; unus Filius, non tres Filij; unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius, aut poſterius, nihil majus aut minus; ſed totæ tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.

Ità ut per omnia, ſicut jam ſuprà

dictum

dictum eſt,& unitas in trinitate, & Trinitas in unitate veneranda ſit.

Qui vult ergò ſalvus eſſe, ita de Trinitate ſentiat.

Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, ut incarnationem quoq; Domini noſtri JEſu Chriſti fideliter credat.

Eſt ergo Fides recta, ut credamus & confiteamur,quiaDominus noſter JEſus Chriſtus, DEi Filius, DEus & homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus: & homo eſt ex ſubſtantia Matris in ſæculo natus.

Perfectus DEus, perfectus homo: ex anima rationali, & humanâ carne ſubſiſtens.

Æqualis Patri ſecundùm divinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem.

Qui licèt DEus ſit & homo: non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.

Unus autem non converſione divinitatis in carnem; ſed aſſumptione humanitatis in DEum.

Unus omninò non confuſione ſubſtantiæ; ſed unitate perſonæ.

Nam ſicut anima rationalis, & caro

unus eſt homo: ita DEus & homo unus eſt Chriſtus.

Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad inferos, tertiâ die reſurrexit à mortuis.

Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: indè venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & redditurі ſunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc eſt Fides Catholica: quam niſi quisque fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.

Gloria Patri, & Filio, &c.

CORONA
SS. TRINITATIS.

Habet tres partes, in memoriam trium Perſonarum, & honorem. Deinde ſemel, Pater. Ave, Credo, in honorem unius Divinitatis.

INITIUM CORONÆ.

Benedicta ſit ſancta, & individua Trinitas, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

PARS PRIMA.

Pater noſter, loco Ave Maria, dicatur novies (quia novem Chori ſunt Angelorum, qui inceſſanter laudant SS. Trinitatem) hoc quod ſequitur ex S. Paulo.

Benedictus Deus & Pater Domini noſtri JEſu Chriſti, Pater miſericordiarum, qui fecit nos; in quo vivimus, movemur, & ſumus. Gloria Patri, &c.

In fine dic hymnum 24. Seniorum, Apoc. 4.

Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.

PARS SECUNDA.

Pater noſter, deinde novies dic:

Benedictus Deus Dominus noſter JEſus Chriſtus unigenitus Dei Filius, qui dilexit nos, & lavit nos ſangvine ſuo à peccatis noſtris. Gloria Patri, &c.

In fine.

Canticum Sanctorum, Apoc. 5.

Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria & potestas in sæcula sæculorum, quoniam occisus es, & redemisti nos in sangvine tuo, ex omni tribu, & lingva, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terram in sæcula sæculorum, Amen. Gloria Patri, &c.

PARS TERTIA.

Pater noster. Deinde novies: Benedictus Deus Spiritus Sanctus, qui à Patre Filioq; procedit, Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Gloria Patri, &c.

In fine dic canticum Seraphim. Ps. 5.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus. Gloria Patri, &c.

Ultimò ex S. August.

Pater noster, Ave Maria, Credo, deinde: Te Deum Patrem ingenitum, te Filium Deum omnipotentem toto corde credo

credo & ore confiteor, laudo & benedico, Gloria Patri, qui nos creavit, Gloria Filio, qui nos redemit, Gloria Spiritui Sancto, qui nos unxit. Gloria Sanctæ & individuæ Trinitati, cujus opera indivisa sunt, cujus majestas una est. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amē

℣. Benedicamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.

℞. Laudemus & superexaltemus in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia Majestatis adorare unitatem, præsta quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus non adversis defendas, & ad vitam æternam perducas. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

OBLA-

OBLATIO SUI SANCTISSIMÆ TRINITATI.

I. Deo Patri.

O Clementiſſime Pater! Pater miſericordiarum, & DEus totius conſolationis. En ego viliſſimus terræ vermiculus, qui non ſum dignus vocari filius tuus, ſolis unigeniti Filij tui Redemptoris mei JEſu Chriſti infinitis meritis confiſus, me divinæ Majeſtati tuæ, Creatori ac Domino meo: corpus & animam meam, & quidquid in me eſt (quæ omnia tua dona agnoſco) lubens tibi in ſacrificium ſempiternum trado & conſecro. Suſcipe hanc qualemcunque oblationem in unione ſacroſancti iſtius Sacrificij, quod dilectus Filius tuus in ara Crucis tibi obtulit. Reſpice in faciem Chriſti tui: & imaginem tuam ad hujus idæam factam in me agnoſce. Hujus dignitas meam excuſet vilitatem, hujus ſanctitas meam compenſet malitiam, faciatque ut perpetuâ charitate tibi conjunctus vivam ac moriar. Amen.

II.

II. Deo Filio.

O Benignissime Patris omnipotentis Fili: splendor gloriæ & figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis tuæ. Qui cùm in forma DEi esses, temetipsum humiliâsti, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, ut me sathanæ mancipium, æternæ damnationis reatu eriperes. Quid retribuam tibi Domine JEsu, pro omnibus, quæ retribuisti mihi? An non me totum tibi debeo, qui me gehennæ ignibus destinatum, perditumque Patris tui gratiæ, æternæque saluti restituisti? Suscipe me, JEsu, suscipe pignus tuum, nimis carò redemptum: suscipe quod absque eo tuum est; tuæ enim omnipotentiæ opus est, quidquid in me reperitur. Suscipe illud & conserva, ne pereat infinitum sacratissimi sangvinis tui pretium. Amen.

III. Deo Spiritui Sancto.

O Sancte Spiritus, qui à Patre Filioque procedis, ejusdem cum Patre & Filio Deitatis, substantiæ ac gloriæ! O vita

O vita & ſolatium animæ meæ! In te per aquam Baptiſmatis me cælo renatum: per te in fide me tibi Deo meo deſponſatum, à tuæ virtutis ac bonitatis influxu ac præſidio me gubernari ac defendi agnoſco. Quid innumeris tuis beneficijs rependam? cùm nec ego quicquam inter res creatas meipſo charius habeam, nec tu aliud extra me poſtules: accipe cor meum, ſenſus meos & omnia quæ in me ſunt. Tu me, ô æterni amoris vinculum, tecum, & cum Patre, Filioque colliga, tuiſque flammis accende ac purifica, ut tibi caſto corpore ſerviam, & mundo corde ſemper placeam. Amen.

CONFESSIO OMNIPOTENTIS DEI, TRINI & UNIUS.

S. Bernardi Abbatis.

O Beata & beatifica ſanctiſſima Trinitas, ad te mea miſera trinitas miſerabiliter ſuſpirat, quoniam à te infeliciter exulat. Diſcedens à te quantis ſe intricavit erroribus, doloribus, timoribus? Heu me! qualem pro te commutavimus trinitatem? Cor meum

con-

conturbatum est & indè dolor; dereliquit me virtus mea, & indè pavor; & lumen oculorum meorum non est mecum, & indè error. En quàm dissimilem trinitatem animæ meæ Trinitas exulans offendisti? Veruntamen quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in DEo, quoniam adhuc confitebor illi; cùm error videlicet à ratione, & à voluntate dolor, atque à memoria timor omnis recesserit, & successerit illa, quam speramus mira serenitas, plena suavitas, æterna securitas. Primum illud faciet veritas Deus, secundum charitas Deus, tertium summa potestas Deus, ut sit, Deus omnia in omnibus, ratione accipiente lucem inextingvibilem, voluntate pacem imperturbabilem consequente, memoriâ fonti indeficienti æternaliter inhærente.

Alia.

PAter cœlestis, qui creasti me, cùm non essem; qui per filium tuum redemisti me cùm perditus essem; qui per Spiritum sanctum regis, & gubernas me ab infantia mea, & ad ultimum beatitu- dinis

dinis æternæ finem, tam multis auxiliis, tanta cum beneficentia deducis: quam ego charitatem tantæ charitati tuæ rependam? Tribue ipse mihi, tu Pater piissime, eam, quam possim tibi dignè retribuere. Dirige precor cor meum in dilectione tui; da mihi charitatem rectam, ut amem in te quod debeo; congaudeam ex præcordiis meis tibi de interno bono infinitæ tuæ, & essentialis perfectionis, de majestate, de sapientia, de bonitate, de beatitudine tua superfelicissima, æterna, independente, prima, & à qua esse, & perfectio omnium creaturarum procedit, conservatur, & consummatur: congaudeam de æterno bono, & gloria Nominis tui. Concupiscat anima mea incessanter in se, & in omnibus rebus augere hunc ipsum honorem tuum & beneplacitum. Occupa Deus meus totum cor meum, quod multis modis totum tuum est, ut te solum diligam, cætera autem propter te. Tribue Deus meus, ut in omnibus beneplacitum tuum intendam & quæram, nec quidquam nisi propter ipsum amem

& non solùm statum vitæ meæ, sed singulos etiam actus ad ipsum dirigam. Amem & Te Domine JEsu Christe, quâ intentione debeo, non tantùm propter me, quia Protector meus, salus mea, justitia, sapientia, virtus, fortitudo, & bonum omne meum tu es: sed potiùs diligam te propter te, quia Benefactor es, quia prior dilexisti me, quia summè bonus, & summè amari dignus es. Amem & te Spiritus Alme, quomodo debeo, auge in me lumen discretionis: ad inveniendam, & implendam voluntatem tuam, ut Te secundùm te diligam, & non aliter quàm ut tibi placet: nè proprium quidem bonum vitæ, aut patriæ velim, ut unus tecum Spiritus fiam: ut in te totus per omnimodam voluntatis conformationem transformer, & à me prorsus egrediens, & in te toto corde transiens, qui es summa & perfecta bonitas, & solus amabilis in sempiterna sæcula. Amen.

Petitio benedictionis.

Benedicat mihi indignissimæ creaturæ suæ, Deus ✝ Pater, & ✝ Filius, & ✝

Spiritus

Spiritus Sanctus. Amen.

OMnipotentia Patris conſervet me.
Sapientia Filij erudiat me.
Charitas Spiritûs S. accendat me.

Ut te DEum meum unum in ſubſtantia, & trinum in perſonis hîc in terris agnoſcam, amem & prædicem, in cælis æternùm intuear & amplectar, Amen.

Pii affectus S. IGNATII Societ: JESU Fundator.

O DEUS! ego amo Te,
Nam prior Tu amâſti me:
En libertate privo me,
Ut ſponte vinctus ſequar Te.
Nil ſuggerat memoria,
Niſi de tua Gloria;
Nil Intellectus ſapiat,
Præterquam ut Te capiat.
Proteſtor nihil velle me,
Niſi quod ſciam velle Te;
Quæ dono tuo, mea ſunt,
Hæc dono meo, tua ſunt.
A Te accepi, recipe,
Quid iis velis, præcipe;

Guberna, ſicut ſcis & vis,
Nam ſcio, quod Amator ſis.
Amore ſolo dona me,
Ut ego quoq; amem Te,
Et vigil, & per ſomnia,
Hæc dando, dabis omnia.

OFFICIUM SS. NOMINIS JESU.

AD MATUTINUM.

℣. JEſu labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. DEus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

COncede JEſu gratiam,
Servo daturo gloriam;
Tuo ſacrato Nomini,
Adſis pro conamine.
O cælites, ô inferi,
O qui ſubeſtis Ætheri:
Flexum genu ſubmittite,
Laudes eidem dicite.

Antiph. In nomine JEſu omne genu flectatur,

ctatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingva confiteatur, quia Dominus JEſus Chriſtus in gloria eſt DEi Patris. *Philip* 2.

℣. Sit nomen Domini benedictum,

℟. Ex hoc, nunc, & uſq; in ſæculum.

Oratio.

DEus qui glorioſiſſimum nomen unigeniti Filii tui Domini noſtri feciſti fidelibus tuis ſummo ſuavitatis affectu amabile, & malignis ſpiritibus tremendum, atque terribile: concede propitius, ut omnes qui hoc nomen JEſu devotè venerantur in terris, ſanctæ conſolationis dulcedinem in præſenti percipiant, & in futuro gaudium perpetuæ exultationis obtineant. Per eundem Dominum &c.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino,

℟. DEo gratias.

Et fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. Amen.

AD PRIMAM

DEus in adjutorium meum &c.

Hymn.

Hymnus.

LÆsit DEum mundi furor;
Hinc mors, fames, belli cruor,
Hinc ira summi Judicis,
Hinc pœna justi vindicis.
O quis valebit dexteræ
Me vindici subducere!
Nomen DEi sanctissimum
Tutamen invictissimum.

Ant. Turris fortissima, nomen Domini: ad ipsum currit justus, & exaltabitur. *Prov.* 18

℣. Sit nomen Domini &c. *Oratio ut suprà*

AD TERTIAM.

DEus in adjutorium meum &c.

Hymnus.

HOræ fluunt cum tempore;
Me criminum tenent Moræ:
Mors clepsydram vitæ movet,
Horæ supremæ commonet.
Mens vulnerata crimine,
Ægrescit in formidine;
Medela, JEsu nominis
Est una spes juvaminis.

Ant. Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me

post te curremus in odorem ungventorum tuorum. *Cant. c. 1.*
℣. Sit nomen Domini &c. *Oratio ut suprà*

AD SEXTAM.

DEus in adjutorium meum &c.

Hymnus.

SPretis profanis actibus
Dum reddo me virtutibus,
Dæmon petit fallaciis,
Mundus, caro, blanditiis:
JEsu tuo me nomine
Ab hostium conamine
Defende, da victoriam
Tibi daturo gloriam.

Ant. Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. *Actor. 4.*
℣. Sit nomen Domini &c. *Oratio ut suprà*

AD NONAM.

DEus in adjutorium meum &c.

Hymnus.

HInc cogitatus anxius,
Hinc appetitus noxius,
Hinc quidquid offendit DEum,
Tentat subire cor meum.
Adverte JEsu cælitus,

Fuga nocentes spiritus,
Et nominis signaculo,
Subduc huic periculo.
Ant. DEus in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua judica me. *Psal.* 53.
℣. Sit nomen Domini &c. *Oratio ut suprà.*

AD VESPERAS.

DEus in adjutorium meum &c.

Hymnus.

QUi vult honores, appetat
Gemmas, & aurum congerat:
Fidat suæ prudentiæ
Mortaliumve gratiæ.
In prosperis, & tristibus,
Infamiis, honoribus;
Solum mihi solatium
JEsu nomen tuum pium.
Ant. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini invocabimus. *Psal.* 19
℣. Sit nomen Domini &c. *Oratio ut suprà.*

AD COMPLETORIUM

℣. Converte nos Deus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam à nobis.
Deus in adjutorium meum &c.

Hymnus.

CUm mortis hora venerit,
Morbo supremo strinxerit,
Caligo visum cum teget,
Auditus aurem deseret.
Nec evocare cælitus
Opem valebit Spiritus,
JEsu sacrum nomen tuum
Tunc adjuvet servum suum.

Ant. Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit. *Ioel* 2.

℣ Sit nomen Domini &c. *Oratio ut suprà Commendatio.*

EX ore culpæ conscio
Indigna JEsu laus scio:
Dignum tamen nomen tuum,
Quod lingva laudet omnium.
Et reddo laudes debitas,
Admitte JEsu redditas;
Supple supernis laudibus,
Quod defuit terrestribus.

LITANIÆ DE SUAVISSIMO NOMINE JESU.

KYrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.

Chri-

Christe exaudi nos.
Pater de cælis DEus. Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi DEus.
Spiritus Sancte DEus.
Sancta Trinitas unus DEus.
JEsu Fili DEi vivi.
JEsu Potentissime.
JEsu Fortissime.
JEsu Perfectissime.
JEsu Gloriosissime.
JEsu Juçundissime.
JEsu Carissime.
JEsu clarior Sole.
JEsu pulchrior Luna.
JEsu splendidior stellis.
JEsu Admirabilis.
JEsu Delectabilis.
JEsu Honorabilis.
JEsu Humillime.
JEsu Pauperrime.
JEsu Mitissime.
JEsu Patientissime.
JEsu Obedientissime.
JEsu Castissime.
JEsu Amator castitatis.
JEsu Amator pacis.

Miserere nobis.

JEſu Amator noſter.
JEſu Speculum vitæ.
JEſu Exemplar virtutum.
JEſu Decus morum.
JEſu Zelator animarum.
JEſu Refugium noſtrum.
JEſu Pater pauperum.
JEſu Conſolator afflictorum.
JEſu Theſaurus fidelium.
JEſu Gemma pretioſa.
JEſu Armarium perfectionis.
JEſu bone Paſtor ovium.
JEſu Stella maris.
JEſu Lux vera.
JEſu Sapientia æterna.
JEſu Bonitas infinita.
JEſu Gaudium Angelorum.
JEſu Rex Patriarcharum.
JEſu Inſpirator Prophetarum.
JEſu Magiſter Apoſtolorum.
JEſu Doctor Evangeliſtarum.
JEſu Fortitudo Martyrum.
JEſu Lumen Confeſſorum.
JEſu Sponſe Virginum.
JEſu Corona Sanctorum omnium.

Miſerere nobis.

Propitius eſto, Parce nobis Jeſu.

Propitius esto, Exaudi nos Iesu.
Ab omni malo, Libera nos Iesu.
Ab transgressione mandatorum tuorũ.
Ab omni peccandi occasione.
Ab incursu omnium malorum.
A peste, fame, & bello.
A mala morte.
A pœnis inferni.
Per Incarnationem tuam.
Per Nativitatem tuam,
Per Circumcisionem tuam.
Per cælestem nominis Iesu impositionem.
Per dolores tuos.
Per flagella tua.
Per mortem tuam.
Per Resurrectionem tuam.
Per Ascensionem tuam.
Per gaudia tua.
Per gloriam tuam.
Per dulcissimam Virg. Matrem tuam.
Per intercessionem omnium Sanctorum tuorum.

Libera nos Iesu.

Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut dulcem mellifluí nominis tui memoriam in tabulis cordis nostri di-

gito virtutis tuæ inscribere digneris. Te rogamus audi nos.

Ut nomen hoc sanctissimum & viventes in opere, & morientes in ore habere mereamur, Te rog. audi nos.

Ut benignissime JEsu, nobis sis JEsus, Te rogamus audi nos.

Agnus DEi qui tollis peccata mundi, Parce nobis JEsu.

Agnus DEi qui tollis peccata mundi, Exaudi nos JEsu.

Agnus DEi qui tollis peccata mundi, Miserere nobis JEsu.

JEsu audi nos. JEsu exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster &c.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum.

Oremus.

OMnipotens sempiterne DEus dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti filii tui mereamur bonis operibus abundare.

DEus virtutum, cujus est totum quod est omnium, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta in no-

bis

bis religionis augmentum, ut quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita, custodias: Qui vivis & regnas cum DEo Patre, in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ORATIONES AD JESUM.

1. S. Augustini Eccl. Doctoris.

DOmine Jesu noverim me, noverim te,
Nec aliquid cupiam nisi te,
Ut odiam me & amem te:
Quidquid agam propter te,
Humiliem me, exaltem te.
Nihil cogitem nisi te.
Mortificem me, & vivam in te,
Quæcunq; veniant, accipiam à te,
Persequar me, sequar te,
Semper optem sequi te,
Fugiam me, confugiam ad te,
Dignus sim defendi à te,
Timeam mihi, timeam te,
Simque de electis à te,
Diffidam mihi, fidam in te,
Obedire velim propter te,
In nullo afficiar, nisi in te,
Aspice me, ut diligam te;

Voca me, ut videam te.
Et in æternum potiar te. Amen.

2 *Divi Gregorii Papæ, Doct. Eccl.*

O Bone JEsu, Verbum Patris, splendor paternæ gloriæ, in quem desiderant Angeli prospicere, doce me facere voluntatem tuã, ut à Spiritu tuo bono deductus ad beatam illam perveniam civitatem, ubi est dies æterna, & unus omnium spiritus, ubi est certa securitas & secura æternitas, & æterna tranquillitas, & felix suavitas: ubi tu DEus cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

3. *S. Bernardi Abbatis, Doct. Mellifui.*

O Bone Iesu, ô piissime Iesu, ô dulcissime Iesu, ô Iesu Fili Mariæ Virginis, plene misericordia & pietate. O dulcis Iesu secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei. O clementissime JEsu, te deprecor per illum sangvinem pretiosum quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates meas, & in me respicias miserum, & indignum humiliter veniam petentem, & hoc Nomen S. Iesu invo-

invocantem. O Nomen JEſu, Nomen
dulce. Nomen Ieſu, nomen delecta-
bile. Nomen Ieſu, nomen confortans:
quid eſt enim Ieſus, niſi Salvator? Er-
go Ieſu propter nomen ſanctum tu-
um, eſto mihi Ieſus, & ſalva me, ne
permittas me damnari, quem tu de ni-
hilo creaſti. O bone Ieſu, ne perdat me
iniquitas mea, quem fecit omnipotens
bonitas tua. O dulcis Ieſu recognoſce
quod tuum eſt, & abſterge quod alie-
num eſt. O benigniſſime Ieſu miſerere
mei, dum tempus eſt miſerendi, ne
damnes me in tempore judicandi. Quæ
utilitas in ſangvine meo, dum deſcen-
dero in æternam corruptionem? Non
mortui laudabunt te Domine Ieſu, ne-
que omnes qui deſcendunt in infer-
num. O amantiſſime Ieſu, ô deſideratiſ-
ſime Ieſu, ô mitiſſime Ieſu. O Ieſu, Ie-
ſu, Ieſu, admitte me intrare in nume-
rum electorum tuorum. O Ieſu ſalus
in te credentium, ô Ieſu ſolatium ad
te confugientium, ô Ieſu dulcis remiſ-
ſio omnium peccatorum. O Ieſu Fili
Mariæ Virginis, infunde in me gratiam,
ſapi-

ſapientiam, charitatem, caſtitatem, & humilitatem, ut poſſim te perfectè diligere, te laudare, te frui, tibi ſervire, ac in te gloriari, & omnes qui invocant Nomen tuum, quod eſt Jeſus. Amē

4. P. Caroli Spinolæ Societatis Ieſu pro fide Chriſti in Iaponia lento igne combuſti. 10 Septemb. 1522.

DIgnare benigniſſime JEſu, per ſanctiſſimum Nomen tuum, eſſe mihi Jeſus, & dare mihi ſpiritum illum tuum, quem qui non habent ij non ſunt tui. Inſere quæſo cordi meo hoc amabile Nomen tuum, ut ejus dulcedine paſcar, ejuſque amore ita ardeam, ut moriar in te JEſu mi dulciſſime, JEſu mi ſuaviſſime, JEſu mi dilectiſſime, invocato hoc ſemper jucundiſſimo, hoc mellifluo, hoc ſalutifero Nomine tuo JEſu, JEſu, JEſu.

Septem divini amoris jacula.

1. QUando te mi JEſu brachiis animæ meæ conſtringam? ne, oro peccatis excludar: verè eorum me nunc, amore tui pœnitet.

2. Utinam te ſolùm mi JEſu, poſſideam,

am, & in alijs omnibus ſim pauper! præ te vileſcunt mihi omnia mundi bona, tu ſolus places.

3. Felix, qui omni rerum terrenarum curâ ſolutus, tibi ſoli, mi JEſu vacat! & videt quàm ſuavis ſit in omnibus Spiritus tuus!

4. Amo te, ſuaviſſime JEſu, ſuper cælum & terram, & quæ iis continentur. In te ſolo cor meum conquieſcit.

5. O chariſſime ſponſe, en ego ſto ad oſtium tuum, & pulſo, admitte me. Omnibus hujus mundi voluptatibus lubens renuntio.

6. O JEſu, permitte me quieſcere ſuper ſacratiſſimum pectus tuum, ut inde cor meum accendatur, ſemperque ardeat.

7. O vita mea, per quam vivo, ſine qua morior: concede, ut tibi conjungar, & in amplexu tuo moriar!

Quinq; amantis animæ ſuſpiria, ad quinq; literas Nominis IESV.

JEſu, mi DEus & omnia! cur unquam offendi te, qui uſque in finem dilexiſti me? An non & ego amem te? Si quis

quis non amat Dominum nostrum JEsum Christum, sit anathema. 1. *Cor.* 16. 23
EMitte, mi JEsu, lucem tuam & veritatem tuam: ipsa me deducant & adducant in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Ibi securè exultabo in te Deo JEsu meo. *Hebr.* 3. 19.
SAlve, ô Imago æterni Patris! ô speciose formâ præ filiis hominum! in quem desiderant Angeli prospicere. O cordis mei desiderium! ostende mihi faciem tuam, & salvus ero. *Psal.* 79. 20.
UTinam, ô Bonitas infinita, amoris victima pro me facta, totus vicissim tibi in amoris victimam consecrer! faciasque (quod unicè exopto) ut verè dicam: Mihi mundus verè crucifixus est, & ego mundo. *Gal.* 6.
SUavissime JEsu, aufer Spiritum meum, & tuum in me transfunde, tuo enim spiritu animatus exclamabo: Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus. *Gal.* 2. 20.

JUBILUS
D. BERNARDI, DE NOMINE JESU.

JEsu dulcis memoria,

Dans vera cordis gaudia,
Sed ſuper mel & omnia,
Ejus dulcis præſentia.
Nil canitur ſuavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogittaur dulcius,
Quàm JEſus DEi Filius.
JEſu ſpes pœnitentibus!
Quàm pius es petentibus!
Quàm bonus te quærentibus:
Sed quid invenientibus?
JEſu dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne deſiderium.
Nec lingva valet dicere,
Nec litera exprimere:
Expertus poteſt credere,
Quid ſit JEſum diligere.
JEſum quæram in lectulo,
Clauſo cordis cubiculo,
Privatim & in publico,
Quæram amore ſedulo.
Cum MARIA diluculo,
JEſum quæram in tumulo,
Clamore cordis querulo,

Mente quæram, non oculo.
Tumbam perfundam fletibus,
Locum replens gemitibus,
JEſu provolvar pedibus,
Strictis hærens amplexibus.
JEſu Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus deſiderabilis.
Mane nobiſcum Domine,
Et nos illuſtra lumine,
Pulſa mentis caligine,
Mundum replens dulcedine.
Quando cor noſtrum viſitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vileſcit vanitas,
Et intus fervet charitas.
Amor JEſu dulciſſimus,
Et verè ſuaviſſimus,
Plus millies gratiſſimus,
Quam dicere ſufficit.
Hoc probat ejus paſſio,
Hoc ſangvinis effuſio,
Per quam nobis redemptio,
Datur, & DEi viſio.
JEſum omnes agnoſcite,

Amorem ejus poſcite,
JEſum ardenter quærite,
Quærendo inardeſcite.
Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite,
In odorem currite,
Et vota votis reddite.
JEſus author clementiæ,
Totius ſpes lætitiæ,
Dulcoris fons, & gratiæ,
Veræ cordis deliciæ.
JEſu mi bone ſentiam,
Amoris tui copiam:
Da mihi per præſentiam,
Tuam videre gloriam.
Cùm dignè loqui nequeam,
De te, tamen non ſileam;
Amor facit ut audeam,
Cùm de te ſolum gaudeam.
Tua JEſu dilectio,
Grata mentis refectio,
Replens ſine faſtidio,
Dans famem deſiderio.
Qui te guſtant, eſuriunt.
Qui bibunt, adhuc ſitiunt;
Deſiderare neſciunt,

Nisi JEsum quem diligunt.
Quem tuus amor ebriat,
Novit quid JEsus sapiat;
Quàm felix est quem satiat!
Non est ultra quod cupiat.
JEsu decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum.
Desidero te millies
Mi JEsu, quando venies?
Me lætum quando facies?
Me de te quando satiës?
Amor tuus continuus,
Mihi langvor assiduus,
Mihi fructus mellifluus,
Est & vitæ perpetuus.
JEsu summa benignitas,
Mira cordis jucunditas:
Incomprehensa bonitas,
Tua me stringat charitas!
Bonum mihi diligere
JEsum, nihil ultra quærere,
Mihi prorsus deficere,
Ut illi queam vivere.
O JEsu, mi dulcissime,

Spes ſuſpirantis animæ:
Te quærunt piæ lacrymæ,
Et clamor mentis intimæ.
Quocunque loco fuero,
Mecum JEſum deſidero,
Quàm lætus cùm invenero!
Quàm felix cùm tenuero!
Tunc amplexus, tunc oſcula,
Quæ vincunt mellis pocula;
Tunc felix Chriſti copula,
Sed in his parva morula.
Jam quod quæſivi video,
Quod concupivi teneo,
Amore JEſu langveo,
Et corde totus ardeo.
JEſus cum ſic diligitur,
Hic amor non extingvitur,
Non tepeſcit, nec moritur,
Plus creſcit & accenditur.
Hic amor ardet jugiter,
Dulceſcit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Delectat & feliciter.
O beatum incendium!
Et ardens deſiderium!
O dulce refrigerium

Amare Dei Filium!
JEſu flos Matris Virginis,
Amor noſtræ dulcedinis,
Tibi laus, honor Numinis,
Regnum beatitudinis.
Veni, veni Rex optime.
Pater immenſæ gloriæ,
Affulge mente clarius,
Jam expectatus ſæpius.
JEſu ſole ſerenior,
Et balſamo ſuavior,
Omni dulcore dulcior,
Cæteris amabilior:
Cujus guſtus ſic afficit,
Cujus odor ſic reficit,
In quo mens mea deficit,
Solus amanti ſufficit.
Tu mentis delectatio,
Amoris conſummatio,
Tu mea gloriatio,
JEſu mundi ſalvatio,
Mi dilecte revertere.
Conſors paternæ dexteræ,
Hoſtem viciſti proſperè,
Cœli regno jam fruere.
Sequar quocunque ieris,

Mihi tolli non poteris,
Cor meum cùm abstuleris,
JEsu laus nostri generis.
Cæli cives occurrite,
Portas vestras attollite,
Triumphatori dicite:
Ave JEsu Rex inclyte.
Rex virtutum, Rex gloriæ,
Rex insignis victoriæ,
JEsu largitor veniæ
Honor cælestis Patriæ:
Tu fons misericordiæ,
Tu veræ lumen Patriæ,
Pelle nubem tristitiæ,
Dans nobis lucem gloriæ.
Te cæli chorus prædicat,
Et tuas laudes replicat;
JEsus orbem lætificat,
Et nos DEo pacificat.
JEsus in pace imperat,
Quæ omnem sensum superat:
Hanc mea mens desiderat,
Et eâ frui properat.
JEsus ad Patrem rediit,
Cæleste regnum subiit,
Cor meum à me transiit:
Simul post JEsum abiit.

Quem proſequamur laudibus,
Votis, hymnis, & precibus,
Ut nos donet cæleſtibus,
Secum perfrui ſedibus. Amen.

Pii affectus S. FRANCISCI XAVERII Societ: IESV.

O DEUS! ego amo Te,
Nec amo Te, ut ſalves me:
Aut, quia non amantes Te
Æterno punis igne.
Tu, Tu mi JESU, totum me,
Amplexus es in Cruce:
Tuliſti Clavos, Lanceam,
Multamq; ignominiam,
Innumeros dolores,
Sudores, & angores,
Ac mortem; & hæc propter me,
Ac pro me peccatore:
Cur igitur non amem Te,
O IEſu amantiſſime?
Non, ut in cælo ſalves me;
Aut ne æternùm damnes me:
Nec præmii ullius ſpe,
Sed ſicut Tu amâſti me,
Sic amo, & amabo Te.
Solùm, quia Rex meus es,
Et ſolùm, quia DEus es. Amen.

OFFICIUM DE SANCTO SPIRITU,

AD MATUTINUM.

℣. Spiritûs ſancti gratia, illuminet ſenſus & corda noſtra. ℟. Amen.
℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudẽ tuam.
℣. DEus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri, &c. Alleluja. *vel*:
Laus tibi Domine, Rex æterne gloriæ.

Hymnus.

NObis ſancti Spiritus gratia ſit data
De qua V. Virginum fuit obumbrata
Cùm per ſanctum Angelum fuit ſalutata,
Verbum caro factum eſt, V. fœcundata.

Ant. Veni ſancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.
℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur
℟. Et renovabis faciem terræ.

Oratio.

ADſit nobis, quæſumus Domine, virtus Spiritûs Sancti, quæ & corda clementer expurget, & ab omnibus tu-

catur adverſis. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejuſdem Spiritûs ſancti DEus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

AD PRIMAM.

℣. Spiritûs ſancti gratia &c.

DEus in adjutorium meum &c.

Hymnus

DE Maria Virgine Chriſtus fuit natus,
Crucifixus, mortuus, atq; tumulatus,
Reſurgens diſcipulis fuit demonſtratus
Et ipſis cernentibus, in cælos eſt elevatus

Ant. Veni S. Spiritus &c. *cum oratione.*

AD TERTIAM.

℣. Spiritûs ſancti gratia &c.

DEus in adjutorium meum &c.

Hymnus.

SUum ſanctũ Spiritum Deus delegavit
In die Pentecoſtes Apoſtolos confortavit,
Et de lingvis igneis ipſos inflammavit,
Relinquere orphanos eos denegavit.

Ant. Veni S. Spiritus &c. *cum oratione.*

AD SEXTAM.

℣. Spiritûs ſancti gratia &c.

DEus

DEus in adjutorium meum &c.

Hymnus

SEptiformē gratiā tunc acceptaverunt
Quare idiomata cuncta cognoverunt
Ad diversa climata mundi recesserunt,
Et fidem Catholicā tunc prædicaverunt.

Ant. Veni Sancte Spiritus &c.

AD NONAM.

℣. Spiritûs S. gratia &c.
DEus in adjutorium &c.

Hymnus

SPiritus Paraclitus fuit appellatus,
Donum DEi, charitas, fons vivificatus
Spiritalis unctio, ignis inflammatus,
Septiformis gratia, charisma vocatus.

Ant. Veni S. Spiritus &c. *cum oratione*

AD VESPERAS.

℣. Spiritus S. gratia &c.
DEus in adjutorium &c.

Hymnus.

DExteræ DEi digitus, virtus spiritalis
Nōs defendat eruat ab omnibus malis
Ut nobis non noceat dæmon infernalis,
Protegat, & nutriat, foveat sub alis.

Ant. Veni S. Spiritus &c.

AD COMPLETORIUM.

℣. Spiritûs S. gratia &c.
℣. Converte nos DEus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam à nobis.
DEus in adjutorium meum. &c.

Hymnus.

SPiritus Paraclitus nos velit juvare,
Gressus nostros regere & illuminare,
Ut cùm DEus venerit omnes judicare,
Nos velit ad dexteram suam collocare.
Ant. Veni S. Spiritus &c. *cum oratione.*

Commendatio.

HAs Horas canonicas cum devotione,
Tibi sancte Spiritus, pia ratione
Dixi, ut nos visites inspiratione,
Et vivamus jugiter in cœli regione. A.

LITANIÆ DE S. SPIRITU.

KYrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.
Spiritus sancte à Patre Filioque procedens, Miserere nobis.
Spiritus Domini DEus Israel,
Dominator hominum,
Replens orbem terrarum,
Habens omnem virtutem,
Omnia bona operans, & omnia prospiciens. Miserere nobis.

Or.

Ornans cælos, stabilis & securus.
Spiritus veritatis omnia suggerens, & distribuens.
Spiritûs sapientiæ & intellectûs,
Spiritus consilii, fortitudinis, scientiæ, & pietatis.
Spiritus timoris Dñi, & prudentiæ,
Spiritus, quo inspirante locuti sunt sancti DEi homines,
Quæ ventura sunt, enuntians,
Donum & promissio Patris,
Spiritus S. Paraclete arguens mundũ,
Spiritus, in quo dæmonia ejiciuntur,
Spiritus, ex quo renascimur,
Spiritus, per quem charitas DEi diffusa est in cordibus nostris,
Spiritus adoptionis filiorum DEi,
Spiritus gratiæ & misericordiæ,
Spiritus adjuvans infirmitatem nostram, & reddens testimonium spiritui nostro, quòd simus filii DEi,
Spiritus suavis, benigne, super mel dulcis,
Spiritus pignus hæreditatis nostræ, deducens nos in terram rectam,
Spiritus principalis, vivificans & con-

Miserere nobis.

confortans,
Spiritus ſalutis, judicii & gaudii,
Spiritus fidei, pacis, & ardoris,
Spiritus humilitatis, charitatis & caſtitatis,
Spiritus benignitatis, bonitatis, longanimitatis ac manſuetudinis,
Spiritus lenitatis, veritatis, unitatis ac conſolationis,
Spiritus compunctionis, promiſſionis, renovationis ac ſanctificationis
Spiritus vitæ, patientiæ, continentiæ ac modeſtiæ,
Spiritus omnium gratiarum.

Miſerere nobis.

Propitius eſto, Parce nobis S. Spiritus,
Propitius eſto, Exaudi nos S. Spiritus,
A ſpiritu erroris, Libera nos Spiritus DEi vivi
A ſpiritu immundo, Libera nos Spiritus DEi vivi.
A ſpiritu blaſphemiæ, Libera nos Spiritus DEi vivi.
Ab omni obſtinatione, & deſperatione Libera nos Spiritus DEi vivi.
Ab omni præſumptione, & veritatis contradictione, Libera nos &c.

Ab

Ab omni malitia & prava consuetudine,
Ab invidia fraternæ charitatis,
A finali impœnitentia,
Per æternam à Patre & Filio processionem tuam,
Per invisibilem unctionem tuam,
Per omnem gratiarum plenitudinem quâ Virginem Mariam semper possedisti,
Per supereffluentem sanctitatis abyssum, quâ in conceptione Verbi Matrem DEi inundare fecisti,
Per sanctam in baptismo Christi apparitionem tuam,
Per salutarem super Apostolos adventum tuum,
Per ineffabilem bonitatem tuam, quâ Ecclesiam gubernas: concilias Præsides: Martyres corroboras: Doctores illuminas: religiones instituis.

Libera nos Spiritus DEi vivi.

Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut in spiritu ambulemus, & desideria carnis non adimpleamus, te rog.
Ut te nunquam contristemus, te rog.
Ut omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta

cta religione, & vero ſpiritu conſervare digneris, Te rog.
Ut cuncto populoChriſtiano cor unum, & animam unam donare digneris, Te
Ut virtutum omnium complementum nobis tribuere digneris, Te rogam⁹
Ut nos exaudire digneris, Te rogamus.
Spiritus Dei, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, &c. Effūde in nos S. Spiritū.
Agnus Dei, &c. Emitte in nos promiſſum Patris Spiritum.
Agnus DEi, &c. Da nobis Spiritū bonum
℣. Spiritus Domini replevit orbem terrarum.
℟. Et hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis.

Oratio.

ACtiones noſtras quæſumus Domine, aſpirando præveni & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

Hymnus de S. Spiritu.

VEni ſancte Spiritus,
Et emitte cælitùs
Lucis tuæ radium:

Veni

Veni Pater pauperum,
Veni dator munerum,
Veni lumen cordium.
Consolator optime,
Dulcis hospes animæ,
Dulce refrigerium.
In labore requies,
In æstu temperies.
In fletu solatium.
O lux beatissima,
Reple cordis intima,
Tuorum fidelium.
Sine tuo Numine,
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.
Lava, quod est sordidum:
Riga, quod est aridum:
Sana quod est saucium.
Flecte quod est rigidum,
Fove quod est frigidum,
Rege quod est devium.
Da tuis fidelibus,
In te confidentibus,
Sacrum septenarium.
Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium. Amen.

PARS QUINTA.

De Cultu Venerabilis Sacramenti Eucharistiæ.

SAcramentum hoc, maximum in Ecclesia Christi, Sacramentum Amoris est, & deliciarum, quibus nos pascit Bonitas Divina. Habemus hic medullam omnis boni cælestis & terrestris, Divini ac humani. Habemus præsentem Salvatorem nostrum, DEum-Hominem: quem ut omni possibili modo veneremur, non tantùm æquitas sed nostra etiam summa utilitas postulat. Accipe igitur sequentia pietatis & amoris officia: quibus erga Dominum, Redemptorem & Amorem tuum, testeris mutuum Amorem, & gratitudinem summo jure debitam.

OFFICIUM DE SS. SACRAMENTO.

AD MATUTINUM.

℣. Panem Angelorum manducavit homo, & paratur ei menſa Domini.

℣. Domine labia mea aperies,

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. DEus in adjutorium &c. Allel. *vel* Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

PAnge lingva glorioſi,
Corporis myſterium,
Sangvinisq; pretioſi,
Quem in mundi pretium,
Fructus ventris generoſi
Rex effudit gentium.

Ant. O quàm ſuavis eſt Domine ſpiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuaviſſimo, de cælo præſtito, eſurientes reples bonis, faſtidioſos divites dimittens inanes.

℣. Panem de cælo præſtitiſti eis Domine.

℟. Omne delectamentum in ſe habentem.

Oremus.

DEus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue quæsumus, ita nos Corporis & sangvinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus: Qui vivis & regnas cum DEo Patre in unitate Spiritûs sancti DEus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

AD PRIMAM.

℣. Panem Angelorum &c. DEus in adjutorium &c. Gloria Patri &c. *ut suprà.*

Hymnus.

NObis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine;
Et in mundo conversatus
Sparso verbi semine;
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

Ant. O quàm suavis &c. *ut suprà* ℣. Panem de cælo &c. DEus qui nobis &c.

AD TERTIAM.

℣. Panem Angelorum &c.
DEus in adjutorium &c. *ut suprà.*

Hymnus

IN supremæ nocte cœnæ Re-

Recumbens cum fratribus,
Obſervata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat ſuis manibus.

Ant. O quàm ſuavis &c. ℣. Panem de cælo, &c. DEus qui nobis &c. *ut ſuprà.*

AD SEXTAM.

℣. Panem Angelorum &c.
DEus in adjutorium, &c. *ut ſuprà.*

Hymnus

VErbum caro panem verum
Verbo carnem efficit,
Fitque ſangvis Chriſti merum,
Etſi ſenſus deficit,
Ad firmandum cor ſincerum
Sola Fides ſufficit.

Ant. O quàm ſuavis &c. ℣. Panem de cælo, &c. DEus qui nobis &c. *ut ſuprà.*

AD NONAM.

℣. Panem Angelorum &c.
DEus in adjutorium &c. *ut ſuprà.*

Hymnus.

PAnis Angelicus
Fit panis hominum;
Dat panis cælicus

Figuris terminum.
O res mirabilis!
Manducat Dominum
Pauper servus & humilis.
An. O quàm suavis &c. ℣. Panem de cælo &c. DEus qui nobis &c. *ut suprà.*
Hymnus.
TAntum ergo Sacramentum
Veneremur cernui:
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui:
Præstet fides supplementum
Sensuum defectui.
An. O sacrum convivium, in quo Christus sumitur: recolitur memoria passionis ejus: mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.
Ant. O quàm suavis &c. ℣. Panem de cælo, &c. DEus qui nobis &c. *ut suprà.*
AD COMPLETORIUM.
℣. Panem Angelorum &c.
℣. Converte nos Deus salutaris noster.
℞. Et averte iram tuam à nobis.
℞. Deus in adjutorium, &c. Gloria, &c.
Hymnus
GEnitori, genitoque
Laus

Laus & jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit, & benedictio:
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.
Ant. O quàm suavis &c. ℣. Panem de cælo &c. DEus qui nobis &c.

Commendatio.

HAs Horas canonicas cum devotione,
Dixi in memoriam tui, JEsu bone,
Corporis sanctissimi, piâ ratione:
Fac ut illo perfuar cæli regione. Amē.

LITANIÆ
DE VENERABILI SACRAMENTO.

KYrie eleison. Christe eleis. Kyrie eleis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de cælis Deus. Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus. Mis. n.
Spiritus Sancte Deus.
Sancta Trinitas unus Deus.
Panis vivus, qui de cælo descendisti,
Deus absconditus, & Salvator,
Frumentum electorum,
Vinum germinans Virgines.
Panis pingvis, & deliciæ Regum,

Miserere nobis.

Juge Sacrificium,
Oblatio munda,
Agnus absque macula,
Menſa puriſſima,
Angelorum eſca,
Manna abſconditum,
Memoria mirabilium DEi,
Panis ſuper-ſubſtantialis,
Verbum caro factum,
Habitans in nobis,
Hoſtia ſancta,
Calix benedictionis,
Myſterium Fidei,
Præcelſum & venerabile Sacramentũ
Sacrificium omnium ſanctiſſimum,
Verè propitiatorium pro vivis & defunctis,
Cæleſte antidotum, quo à peccatis præſervamur,
Stupendum ſupra omnia miraculum,
Sacratiſſima Dominicæ Paſſionis commemoratio,
Donum tranſcendens omnem plenitudinem.
Memoriale præcipuũ divini amoris,
Divinæ affluentia largitatis,

Miſerere nobis.

Sacro-

Sacrosanctum & augustissimum mysterium,
Pharmacum immortalitatis,
Tremendum ac vivificum Sacramentum,
Panis omnipotentiâ Verbi caro factus
Incruentum sacrificium,
Cibus & Conviva.
Dulcissimum convivium, cui assistunt Angeli ministrantes,
Sacramentum pietatis,
Vinculum charitatis,
Offerens & oblatio,
Spiritualis dulcedo in proprio fonte degustata,
Refectio animarum sanctarum,
Viaticum in Domino morientium,
Pignus futuræ gloriæ,

Miserere nobis.

Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab indigna Corporis & Sangvinis tui susceptione, Libera nos Domine.
A concupiscentia carnis. Libera
A concupiscentia oculorum, Libera
A superbia vitæ, Libera
Ab omni peccandi occasione. Libera

Per desiderium illud, quo hoc Pascha cum discipulis manducare deside- râsti, Libera nos Domine.
Per summam humilitatem, quâ discipulorum pedes lavîsti, Libera.
Per ardentissimam charitatem, quâ hoc divinum Sacramentum instituisti, Li.
Per sangvinem tuum pretiosum, quem nobis in Altari reliquisti, Libera.
Per quinque vulnera hujus tui Corporis sacratissimi, quæ pro nobis suscepisti, Libera.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis fidem, reverentiam, & devotionem hujus admirabilis Sacramenti augere & conservare digneris.
Ut ad frequentem usum Eucharistiæ per veram peccatorum confessionem nos perducere digneris,
Ut nos ab omni hæresi, perfidia, ac cordis cæcitate liberare digneris,
Ut sanctissimi hujus Sacramenti pretiosos & cælestes fructus nobis impertiri digneris,
Ut in hora mortis nostræ hoc cæle-
Te rogamus audi nos.

ſti viatico nos confortare & munire dignetis, Te rog.

Fili DEi, Te rog.

Agnus DEi qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus DEi qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus DEi qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.

Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos. Kyrie eleiſon Chriſte eleiſon.

Kyrie eleiſon. Pater noſter &c.

Oremus.

DEus qui nobis &c. pag. 251.

PIA ORATIO

S. P. Ignatio Fundatori S. I. olim familiaris.

ANima Chriſti ſanctifica me, Corpus Chriſti ſalva me, Sangvis Chriſti inebria me, Aqua lateris Chriſti lava me: Paſſio Chriſti conforta me: O bone JEſu exaudi me: Intra vulnera tua abſconde me. Ne permittas me ſeparari à te: Ab hoſte maligno defende me: In hora mortis meæ voca me. Et jube me venire ad te: Ut cum ſanctis tuis laudem te, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Adoratio Christi in Eucharistia

O Domine JEsu Christe, verus DEus & Homo, ego te hic verè præsentem agnosco, supplex adoro de vivæ carnis tuæ, & sangvinis, Corporisq; & Animæ veritate nihil omninò dubitans. Utinam verò eo te modo contemplari, & cognoscere, diligere, laudare & glorificare queam, quo tot sanctorum Angelorum millia summo cum gaudio te contemplantur, cognoscunt, diligunt, & glorificant in cælis! Quantum enim tibi debeo, quòd amore mei, è cælo descenderis! teque in ara Crucis pro me obtuleris? Et in immortale monumentum amoris tui te mihi, in Sacramento reliqueris? væ mihi, si amorem hunc amore non compensem!

Actus Fidei, Spei, Charitatis, & Resignationis coram Venerabili.

O Sapientia infinita! ô æterna Veritas! ô Bonitas immensa! quæ nec falli, nec fallere potes, Credo in te, & credo tibi in omnibus, quæ revelasti, perque Ecclesiam mihi credenda proponis. Imprimis verò credo, te in sanctissimo hoc

Sacra-

Sacramento esse præsentem, prout apertis verbis asseruisti, quibus plus tribuo, quàm ingenio meo, omnibusque sensibus: Et pro hac fide per tuam gratiam mori sum paratus.

Spero in te, ô Bonitas infinita, teque per inexhaustam misericordiam tuam, & pretiosissima merita, veniam, gratiam, & gloriã mihi promissã, daturũ cõnfido.

Amo, & amabo te, & omnia, quæ tu amas, propter te, ô fons infinite omnis boni, quia tu omni amore dignus es.

Gaudeo de infinita perfectione, beatitudine & amabilitate tua, & de omni obsequio, laude, honore, & gloria tibi ab electis tuis & creaturis omnibus unquam reddita, & in æternum reddenda.

Te, tuumque in omnibus beneplacitum amplector, omnique possibili reverentiæ, fiduciæ, amoris & pietatis affectu veneror & exosculor.

Quidquid in me est affectûs erga Creaturas in te solum transfero. Quidquid egero in omnem æternitatem, aut passus fuero, cedat ad tuam gloriam.

Totus sum tuus: fac de me quidquid

vis, nunc, & in æternum, Amen.

LAUS SANCTISSIMI Sacramenti.

LAudetur ſanctiſſimumSacramentum, tot laudibus, quot in cælo ſtellæ, in igne ſcintillæ, in àére atomi, in mari guttæ, in terra pulveres: quot in vere flores, æſtate grana, autumno folia, hyeme nives & grandines: quot corporeæ in univerſo ſunt creaturæ, quia dignus es, Domine univerſorum, qui ſub corporeis vini, panisq; ſpeciebus lates. Verè tu es Deus abſconditus. *Iſa. 45.*

LAudetur ſanctiſſimum Sacramentum tot laudibus, quot ullo opere exhiberi: quot ore proferri: quot corde omnium hominum excogitari unquam potuêre, vel poſſunt; quia dignus es, tu Domine Pater noſter, qui nos cibas, & potas quotidie, cujus redempti ſumus pretioſo Sangvine, quaſi Agni immaculati. *1. Pet. 1.*

LAudetur ſanctiſſimum Sacramentum tot laudibus, quot omnes Angeli, ipſaq; ſanctiſſima Trinitas ſuâ potentiâ depromere, ſuâ ſapientiâ concipere, ſuâ boni-

bonitate optare potest; quia dignus es Domine DEus meus, qui mihi donas non tantùm Humanitatem, verùm etiam Divinitatem tuam, Dominus meus, & DEus meus, verè laudabilis & gloriosus, & superexaltatus in sæcula. *Dan.* 3.

Petitio

BEnignissime JEsu, à quo manant in nos omnia bona, à quo omnia à nobis mala arcentur: Averte à me omnem vanitatem, mentis elationem, carnis libidinem, oris licentiam, contemptum inopum, avaritiæ ardorem, & quicquid demum divinæ Majestati tuæ displicet, ut tibi DEo meo in veritate serviam, & in corde perfecto laudem, & glorificem in sæcula.

Commendatio.

COmmendo me tibi, ô bone JEsu! intra mellifluum cor tuum abscondo me, nec permitte me in æternum separari à te. Sis mihi in vita solatium: in morte viaticum: in æternitate præmium. Id rogo te pro me, omnibus amicis meis, per lacrymas, sudorem, & sangvinem tuum, Amen.

PARS SEXTA.

De Cultu Christi Patientis.

EPistolam suam primam ad Corinthios, c. 16. v. 22. generali ac severo edicto claudit Apostolus Paulus: Si quis non amat Dominum nostrum IEsum Christum anathema sit. *Edicti hujus fulmen merentur ij potissimùm, qui erga Patientem pro nobis D. Iesum non afficiuntur religiosiùs; nec cogitant, quo officij genere, quo amoris ardore respondere debeant sic amanti. Audi S. Augustin. c. 6. Meditat.* Magna & multa sunt, quæ mihi Dñus Deus contulisti beneficia; pro quibus mihi diligendus es, & semper laudandus. Unum autem est, quod me plùs omnibus accendit, urget ac promovet ad Te diligendum super omnia; Amara mors, quam sustinuisti, Opus Redemptionis nostræ! Hoc solum, vel hoc omnino, totam vitam nostram, totum laborem nostrum, totum obsequium nostrum

ſtrum, amorem denique noſtrum faci-lè tibi vendicat. *Non gravaberis ergo pie orator, ex ſequentibus pietatis erga IEſum Patientem Exercitijs quædam tibi ſeligere: quæ conſtanter, præſertim Ferijs ſextis, in teſſeram gratitudinis, devotionis, & amoris tui, meritiſſimo de te Salvatori offeras.*

OFFICIUM SANCTÆ CRUCIS.

AD MATUTINUM.

℣. Per ſignum Crucis de inimicis noſtris.
℟. Libera nos DEus noſter.
℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Non dicitur Allel. *neq;* Laus tibi Domine, Rex æterne gloriæ.

Hymnus.

PAtris ſapientia veritas divina,
Deus homo captus eſt horâ matutinâ
A notis diſcipulis citò derelictus,
A Judæis traditus, venditus & afflictus.

Ant.

Antiph. O Crux venerabilis quæ salutem attulisti miseris, quibus te efferam præconiis, quoniam vitam nobis cælitem præparâsti.

℣. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi.

℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

Oratio.

DOmine JESU Christe Fili DEi vivi, pone passionem, crucem & mortem tuam inter judicium tuum & animam meam, nunc & in hora mortis meæ: & mihi largiri digneris gratiam, & misericordiam: vivis & defunctis requiem & veniam: Ecclesiæ tuæ pacem & concordiam: & nobis peccatoribus vitam & gloriam sempiternam. Qui vivis &c.

AD PRIMAM.

℣. Per signum Crucis de inimicis nostris, Libera nos Deus noster.

Deus in adjutoriū &c. Gloria Patri &c.

Hymnus.

HOrâ primâ Dominū ducunt ad Pilatum
Et à falsis testib9 multum accusatum
Colaphis percutiunt manibus ligatum,
Vul-

Vultũ DEi conſpuunt, lumen cæli gratũ

Ant. O Crucis victoria, & admirabile ſignum in cæleſti curia, fac nos captare triumphum.

Adoramus te Chriſte &c.

AD TERTIAM.

℣. Per ſignum Crucis &c.

Hymnus.

CRucifige clamitant horâ tertiarum,
Illuſus induitur veſte purpurarum,
Caput ejus pungitur coronâ ſpinarum,
Crucẽ portat humeris ad locum pœnarũ

Ant Funeſtæ mortis damnatur ſupplicium, dum Chriſtus in cruce noſtra deſtruxit vincula criminum.

Adoramus te Chriſte &c.

AD SEXTAM.

℣. Per ſignum Crucis &c.

HOrâ ſexta JEſus eſt cruci conclavatus
Et eſt cũ latronib⁹ pendens deputatus
Præ tormentis ſitiens felle ſaturatus,
Agnus crimen diluens ſic ludificatus.

Ant Per lignum ſervi facti ſumus, & per S. Crucem liberati ſumus, fructus arboris ſeduxit nos, Filius DEi redemit nos.

Ado-

Adoramus te Christe &c.

AD NONAM.

℣. Per signum Crucis &c.

Hymnus.

HOrâ nonâ Dominus Jesus exspiravit,
Eli clamans Spiritũ Patri com̃endavit
Latus ejus lanceâ miles perforavit,
Terra tunc contremuit & Sol obscuravit

Ant. O Magnum pietatis opus mors mortua tunc est in ligno, quando mortua vita fuit.

Adoramus te Christe &c.

AD VESPERAS.

℣. Per signum Crucis &c.

Hymnus

DE Cruce depositum horâ vespertinâ,
Fortitudo latuit in mente divina
Talem mortem subiit vitæ medicina,
Heu! corona gloriæ jacuit supina!

Ant. O Crux benedicta quæ sola fuisti digna portare talentum mundi, dulce lignum dulces clavos, dulcia ferens pondera: super omnia ligna cedrorum. Tu sola excelsior, in qua mundi salus pependit, in qua Christus triumphavit, & mors mortem superavit in æternum.

Adoramus te Christe &c. AD

AD COMPLETORIUM.

℣. Per signum Crucis &c.
℣. Converte nos Deus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. Deus in adjutorium &c. Gloria &c.

Hymnus.

HOrâ completorij datur sepulturæ,
CorpusChristinobilespes vitæ futuræ
Conditur aromate: cõplentur scripturæ
Jugi sit memoriæ mors hæc mihi curæ.

Ant. Salvator mundi salva nos, qui per crucem & sangvinem tuum redemisti nos, auxiliare nobis, te deprecamur DEus noster.

Adoramus te Christe &c.

Commendatio

HAs Horas canonicas cum devotione,
Tibi Christe recolo pia ratione,
Ut qui pro me passus es amoris ardore,
Sis nobis solatium mortis in agone, A.

Oremus.

OMnipotens & misericors DEus, qui nobis in foraminibus terræ, sacratissimis Domini nostri JEsu Christi vulneribus, in omni tribulatione & angustia singulare Præsidium benignissimè

mè præparasti; da mihi per eorundem merita remissionem peccatorum; & servandi mandata tua, teque ex toto corde diligendi, gratiam benigniter elargire, te, cùm ex hac ærumnosa miseriarum valle fuerit emigrandum, sangvinis, quem fuderunt, virtute & efficaciâ, in Divinissimo Dominici cordis vulnere, vel insuperabili propugnaculo, ab omni diabolica infestatione securus delitescam, & coram supremi vivorum & mortuorum Judicis tribunali, cum fiducia comparens, & hæc ejus omni radio solari splendidiora vulnera in novissimo die summo cum gaudio intuens, dulcissimam Electorum sententiam: Venite Benedicti Patris mei; feliciter adipiscar. Per eundem Dominum nostrum JEsum Christum &c.

Oblatio ad Patrem … DEI Filium

BEnignissime JEsu, quem pro nobis & propter nos charitas ardentissima erga nos, Cruci affixit, suscipe omnium vulnerum tuorum dolores, sangvineásque guttas; suscipe pientissimæ Matris tuæ compassionem & dolorem pro pec-

caus

catis universi mundi. Suscipe etiam quæso me indignissimum peccatorem, quem tibi offero in unione charitatis tuæ, & converte me in laudem & gloriam tuam, juxta summum, atque supremum beneplacitum tuum. Amen.

TESSERÆ AFFECTUUM erga CHRISTUM passum

in singulos dies, à Dominica Quinquagesimæ ad Pascha, distributæ; ferventi suspirio sæpiùs per diem iterandæ.

Tesseræ Animi pœnitentis.

1. *IESU Fili David miserere mei.* Domine ut videam! Luc. 18.
2. *Vulneratus est propter iniquitates meas, attritus est propter scelera mea. Isa. 53.* O satis dolere possem!
3. *Ego sum, qui peccavi, ego iniquè egi. Iste,* qui Filius est, *quid fecit? Vertatur obsecro manus tua contra me* 2. Reg. 23. Veruntamen æternum parce Domine.
4. *Si hæc in viridi; quid fiet in arido? Luc. 23*
5. O JESU mi, recollige me visceribus, refice me uberibus, inebria me vulneribus. *Bonavent.*
6. O Amor! nunquam amplius, nun-

quam ampliùs peccata! *B. Catharina Genuen:*

7. Mater doloroſiſſima, Tui Nati vulnerati, tam dignati pro me pati, pœnas mecum divide.

DEPRECANTIS.

1. Qui paſſus es pro nobis, JEſu Chriſte miſerere nobis.

2. Recordare JEſu pie, quod ſum cauſa tuæ viæ; ne me perdas illa die. *Eccle.*

3. O bone JEſu exaudi me, intra vulnera tua abſconde me. *S. Ignat. S.I.*

4. Quærens me ſediſti laſſus, redemiſti crucem paſſus, tantus labor non ſit caſſus. *Eccleſia.*

5. *Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui* Pſal. 83.

6. Ingemiſco tanquam reus, culpâ rubet vultus meus, ſupplicanti parce DEus.

7. MARIA Mater gratiæ, fac me cruce cuſtodiri, Morte Chriſti præmuniri, confoveri gratiâ.

CONFIDENTIS.

1. CHRISTUS Patri oſtendit vulnera; MARIA Chriſto pectus & ubera: ubi orant

rant hæc clementiæ monumenta, & charitatis insignia, non potest esse repulsa. *Arnold. Carn.*

2. Ecce in manibus Tuis Domine, descripsisti me: lege ipsam Scripturam, & salva me. *August.*

3. Ah JEsu, fieri ne poterit, ut à te dilectus & sic dilectus, non sim electus?

4. Non moriar sed vivam! *Hinc pascor à vulnere; hinc lactor ab ubere.* Aug.

5. Dicam DEo: Noli me condemnare: quia Tu pro me damnatus es.

6 *Quia etiam proprio Filio suo non pepercit; quomodo non etiam omnia nobis cum illo donavit*, & condonavit. *Rom.* 8.

7. Mater Salvatoris piissima, dum hoc Corpus morietur, fac ut animæ donetur Paradisi gloria.

PATI DESIDERANTIS.

1. Nolo Domine nolo vivere sine vulnere, quia te video vulneratum, Sangvinem pro sangvine!

2. Totus mihi figatur in corde, qui totus pro me fixus fuit in cruce. *Aug.*

3. Qui Christi sunt, carnem crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis su-

is *Galat.* 5.

4. Non mori, sed pati. *S. Magdal. de Pazz.*

5. Pudet sub spinoso Capite membrum esse delicatum.

6. JESUS & MARIA Dulcissimi Amores mei: patiar ego, moriar ego amore vestri: Totus sim vester, nullus meus! *Alphon. Rodr.*

7. Sancta Mater istud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo validè.

ADMIRANTIS.

1. Dilexisti me Domine plus quàm Te; quia mori voluisti pro me. *August.* In tantùm me diligis DEus meus, ut Te odisse videaris. *Bonavent.*

2. Quàm copiosa redemptio! cùm posset guttâ, redemit undâ. *Bern.*

3. Si me totum debeo pro me facto, quid addam pro refecto? Nec enim tam facile refectus, quàm factus. *Bern.*

4. O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! ô inæstimabilis dilectio charitatis: ut servum redimeres, Filium tradidisti. *Ecclesia.*

5. Quàm pulcher es Dilecte mi! *Pulcher*

cher in ligno, pulcher in cælo, pulcher & in sepulchro Aug.
6. Sic Deus dilexit mundum. *Ioan.*
7. Mater desolata; Juxta crucem tecum stare, me libenter sociare in planctu desidero.

COMPATIENTIS.

1. DEus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo? *Bern.*
2. Fasciculus myrrhæ Dilectus meus inter ubera mea comorabitur. *ant.* 1.
3. Absorbeat dulcissime JEsu mentem meam vis ignita & mellistua amoris tui; ut amore Amoris tui mihi & mundo moriar, qui amore mei dignatus es in cruce mori. *S. Francis.*
4. Christus in fame & siti, ego inter epulas? *Petrus Faber S. I.* Ludam & illudam vulneribus ejus? *Bern.*
5. CHRISTO configar cruci! Vivam ego non jam ego, vivat in me CHRISTUS.
6. Ingredere anima mea in requiem tuam, vulnera Christi: *Aspice in Authorem fide. & consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Hebr.*

Hebr. 12.

7. Pia Mater fons amoris, me sentire vim doloris, fac ut tecum lugeam, Fac me verè tecum flere, Crucifixo condolere, donec egò vixero.

AMANTIS.

1. Quidquid es, ô Anima, quidqoid potes; debes Creanti, Redimenti, Vocanti. *Bern.*

2. O Amor, amor, amor! quid aliud Te Crucifixe JEſu, quàm Amorem appellem! S. *Magd. de Pazzis.*

3. Transfige dulciſſime JEſu medullas & viſcera Animæ meæ ſuaviſſimo ac ſaluberrimo amoris tui vulnere. *S. Bonaven.*

4. Quantò pro me vilior, tantò mihi charior. *Bern.*

5. Amor meus Crucifixus eſt! *Leonard. Leſſius.*

6. *Non judico me quidquam ſcire, niſi IEſum & hunc Crucifixum.* 1 *Cor.* 2.

7. O Mater dolore & amore pleniſſima! fac ut ardeat cor meum, in amando Chriſtum DEum, ut ſibi complaceam.

LITA-

LITANIÆ DE VITA ET PASSIONE DOMINI.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis DEus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEus.
Spiritus Sancte DEus,
Sancta Trinitas unus DEus,
Jeſu Sapientia æterna,
Jeſu de Virgine Maria nate,
Jeſu à tua Genitrice adorate,
Jeſu pannis involute.
Jeſu in præſepio reclinate,
Jeſu ubere Virgineo lactate,
Jeſu à paſtoribus in præſepio cognite
Jeſu per circumciſionẽ ſub lege facte
Jeſu à Magis adorate,
Jeſu in templo præſentate.
Jeſu in Ægyptum delate,
Jeſu ab Herode ad necem quæſite,
Jeſu in Nazareth nutrite,
Jeſu in templo invente,

Miſerere nobis.

Jesu parentibus subdite,
Jesu à Joanne baptizate,
Jesu in deserto tentate,
Jesu cum hominibus conversate,
Jesu gratis odio habite,
Jesu contumeliis vexate,
Jesu in monte coram Patribus transfigurate,
Jesu Rex mitis Hierusalem ingresse,
Jesu triginta argenteis vendite,
Jesu ad discipulorum pedes inclinate
Jesu in oratione prostrate,
Jesu in agonia sangvineo sudore conspersе,
Jesu osculo à Juda tradite,
Jesu à ministris ligate,
Jesu à Discipulis derelicte,
Jesu Annæ & Caiphæ præsentate,
Jesu alapâ à ministro percusse,
Jesu à falsis testibus accusate,
Jesu reus mortis judicate,
Jesu in faciem consputе,
Jesu oculis velate,
Jesu à Petro ter negate,
Jesus vinctus Pilato tradite,
Jesu ab Herode sprete & illuse,

Miserere nobis.

Jesu veste alba indute,
Jesu Barabbæ postposite,
Jesu flagellis cæse,
Jesu propter scelera nostra attrite,
Jesu quasi leprosus deputate,
Jesu veste purpureâ indute,
Jesu spinis coronate,
Jesu arundine percusse,
Jesu à Judæis ad crucem postulate,
Jesu morte turpissima condemnate,
Jesu voluntati Iudæorum tradite,
Jesu Crucis pondere gravate,
Jesu tanquam ovis ad occisionem ducte,
Jesu vestibus exute,
Jesu clavis in cruce confixe,
Jesu propter iniquitates nostras vulnerate,
Jesu, qui pro inimicis Patrem rogâsti
Jesu cum iniquis reputate,
Jesu in cruce blasphemate & illuse,
Jesu à latrone convitiis lascessite,
Jesu, qui latroni pœnitenti paradisum promisisti,
Jesu, qui Joannem Matri tuæ in Filium commendâsti,

Miserere nobis.

Jesu te à Patre derelictum atteſtate,
Jesu felle & aceto in siti potate,
Jesu, qui omnia de te ſcripta consummâſti,
Jesu usque ad mortem crucis obediens facte,
Jesu lanceâ transfixe,
Iesu propitiatio nobis facte,
Iesu de Cruce depoſite,
Iesu gloriosè à mortuis reſurgens,
Iesu in cælum elevate,
Iesu noſter apud Patrem Advocate,
Iesu, qui Spiritum Paraclitum diſcipulis miſiſti;
Iesu Matrem ſuper choros Angelorum exaltans,
Iesu vivos & mortuos judicature,

Miſerere nobis.

Propitius eſto, Parce nobis Domine.
Propitius eſto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato.
Ab ira & odio, & omni mala voluntate,
A peſte, fame, & bello,
A cunctis mẽtis & corporis periculis
A morte perpetua,

Libera nos Dñe.

Per miraculosam Conceptionē tuam.
Per miraculosam Nativitatem tuam.
Per humilem Circumcisionem tuam,
Per Baptismum & sanctum jejunium tuum,
Per labores & vigilias tuas,
Per dolorosam flagellationem, & coronationem tuam.
Per sitim, lacrymas, & nuditatē tuam,
Per pretiosam mortem, & crucē tuam
Per gloriosam Resurrectionem & Ascensionem tuam,
In die Judicij.

Libera nos Domine.

Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris,
Ut gratiam S. Spiritûs, cordibus nostris clementer infundere digneris
Ut societates in tuo sancto Nomine congregatas conservare & amplificare digneris,
Ut nobis veram pacem, humilitatem, & charitatem largiri digneris.
Ut in gratia, & sancto servitio tuo

Te rogamus audi nos

perseverantiam nobis dare digneris
Ut nos ab immundis cogitationibus, ac dæmonum tentationibus & damnatione perpetua liberare dign.
Ut nos collegio Sanctorum tuorum sociare digneris,
Ut nos exaudire digneris,

Te rog. audi nos.

Agnus DEi qui tollis peccata &c.
Pater noster &c.

℣. Adoramus te Christe & benedicimus tibi.

℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

DEus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, à Judæis reprobari, à Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut Agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis indecenter offerri, à falsis testibus accusari, flagellis, & opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari,

ri, inter latrones deputari, felle & aceto potari, & lanceâ vulnerari: Tu Domine, per has sanctissimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, & per sanctam Crucem & mortem tuam, libera me à pœnis inferni, & perducere digneris, quò perduxisti latronem tecum crucifixum.

Domine IEsu Christe, qui horâ sextâ pro redemptione mundi crucis patibulum ascendisti, & Sangvinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorũ fudisti: te humiliter deprecamur, ut post obitũ nostrum, paradisi januas nos gaudenter introire concedas.

Quæsumus clementiam tuam, ut nos famulos tuos, gratiâ tuâ confirmare digneris: ut in hora mortis nostræ non prævaleat contra nos adversarius noster: sed cum Angelis tuis transitum habere mereamur ad vitam æternam. Qui vivis & regnas &c.

Hymnus de S. Cruce.

VExilla regis prodeunt:
Fulget Crucis mysterium,
Quo carne carnis Conditor

Suspen-

Suspensus est patibulo.
Quo vulneratus insuper
Mucrone diro lanceæ,
Ut nos lavaret crimine,
Manavit unda sangvine.
Impleta sunt, quæ concinit
David fideli carmine:
Dicendo nationibus,
Regnavit à ligno Deus.
Arbor decora & fulgida
Ornata Regis purpurâ,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.
Beata cujus brachiis
Pretium pependit sæculi,
Statera facta corporis,
Tulitque prædam Tartari.
O Crux ave spes unica!
Hoc passionis tempore,
Auge piis justitiam,
Reisque dona veniam.
Te fons salutis Trinitas,
Collaudet omnis spiritus:
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde prœmium. Amen.
℣. Eripe me Domine ab homine malo.
℟. A

℟. A viro iniquo eripe me.

Oremus.

DEus, qui pro nobis Filium tuum Crucis patibulum subire voluisti: ut inimici à nobis expelleres potestatem; concede nobis famulis tuis: ut resurrectionis gloriam consequamur. Per Dominum nostrum &c.

Divinum auxilium, maneat semper &c.

Sequentem Orationem coram imagine S. Sindonis S. D. N. I. C. devotè recitantibus concessit Clemens VIII. Indulgentiam plenariam, & liberationem animæ ex purgatorio, Paulus verò V. confirmavit.

DEus qui nobis in sancta Sindone, quâ Corpus tuum sacratissimum, de cruce depositum, à Joseph involutum fuit, Passionis tuæ vestigia reliquisti, concede propitius, ut per mortem, & sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis & regnas in unitate Spiritûs sancti Deus: Per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Oratio de VII. Verbis Christi.

DOmine JEsu Christe Fili DEi vivi, qui in Cruce pendens dixisti: Pater dimitte

mitte illis, non enim sciunt, quid faciunt; fac, ut ego amore tui parcam cunctis mihi malefacientibus. Et qui dixisti Latroni Hodiè mecum eris in Paradiso; fac me ita vivere, ut in hora mortis meæ dicas mihi: Hodiè mecum eris in Paradiso. Et qui dixisti Matri tuæ: Mulier, ecce filius tuus: deindè discipulo, Ecce mater tua; fac ut Matri tuæ me societ amor tuus, & Charitas vera. Et qui dixisti Eli, Eli, Lammasabactani, hoc est, DEus meus, DEus meus, ut quid dereliquisti me? fac me dicere in omni tribulatione & angustia mea: Pater mi, Domine mi, miserere mihi peccatori, & adjuva me Rex meus & Deus meus, qui tuo proprio Sangvine redemisti me. Et qui dixisti: Sitio; fac ut semper sitiam te fontem aquæ vivæ. Et qui dixisti: Pater in manus tuas commendo spiritum meum; suscipe me redeuntem ad te. Qui dixisti: Consummatum est; fac ut audire merear illam dulcissimam vocem tuam, scilicet: Veni amica mea, dilecta mea, sponsa mea: veni ut mecum conscendas
cum

cum Angelis & Sanctis meis in regno meo epulari, jucundari, & commorari, per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Salutationes ad omnia Membra Christi.

SAlve tremendum cunctis potestatibus caput Domini nostri JEsu Christi Salvatoris nostri, pro nobis spinis coronatum, & arundine percussum Salve speciosissima Salvatoris nostri JEsu Christi facies, pro nobis sputis & alapis cæsa. Salvete benignissimi Domini JEsu Christi Salvatoris nostri oculi, pro nobis lacrymis perfusi. Salve mellifluum os, gutturque suavissimum Domini nostri JEsu Christi, pro nobis felle & aceto potatum. Salvete aures nobilissimæ Domini JEsu Christi, Salvatoris nostri, pro nobis contumeliis & opprobriis affectæ. Salve collum humile JEsu Christi, pro nobis colaphizatum, dorsumque sanctissimum pro nobis flagellatum. Salvete venerabiles Domini nostri JEsu Christi manus & brachia, pro nobis in Cruce extensa. Salve pectus mitissimum Domini nostri JEsu Christi, Salvatoris nostri, pro no-

bis

bis in paſſione conturbatum. Salve latus glorioſum Domini noſtri JEſu Chriſti, pro nobis lanceâ militis perforatū. Salvete Domini JEſu Chriſti Salvatoris noſtri ſacra miſericordiæ genua, pro nobis in orationibus flexa. Salvete Domini JEſu Chriſti Salvatoris noſtri pedes adorandi, pro nobis clavis affixi. Salve totum corpus JEſu Chriſti, pro nobis in Cruce ſuſpenſum, vulneratum, mortuum, & ſepultum. Salve Sangvis pretioſiſſime de corpore Domini JEſu Chriſti Salvatoris noſtri pro nobis effuſe. Salve ſanctiſſima Domini noſtri JEſu Chriſti anima in cruce pro nobis in manus Patris commendata. In eadem commendatione tibi commendo hodie, & quotidie animam meam, vitam meam, cor & corpus meum, omnes ſenſus & actus meos, omnes amicos, benefactores, filios, & conſangvineos meo animas parentum, fratrum, ſororum & omnium amicorum ac inimicorum meorum: ut nos protegere, liberare, & defendere digneris ab omnibus inſidijs inimicorum noſtrorum, viſibilium

lium & visibilium, & nunc & in perpetuum, Amen.

Pia exercitatio erga Christum Crucifixum, & quinq; ejus Vulnera.

ORATIO PRÆPARATORIA.

EN amantissime JEsu, qui Sponsus sangvinum mihi esse voluisti, ad pedes tuos prosternor, ut meum in te amorem, debitamq; gratitudinem contester. Sed quid rependam tibi, mi JEsu, qui usque in finem dilexisti me? manibusque ac pedibus, imò & cordi tuo inscripsisti me, magno sanè & conspicuo charactere? Quis mihi hoc tribuat, ut sicut tu me, ita & ego te cordi meo inscriptum circumferam? & sicut mei memoria tibi, sic tui mihi nunquam excidat? O JEsu, quàm profuso me charitatis affectu complexus es, qui non tantùm manus ac pedes, verùm & opulentissimum pectus mihi aperiri voluisti, ut inexhaustâ bonorum cælestium affluentiâ desiderium meum expleas! Suscipe hæc mea, quæ colendis sacris tuis quinque vulneribus, vota persolvo: a-

ditum ſpero, ad optatiſſimos hos vitæ fontes, miſero non intercludes.

Oratio I. ad S. Vulnus Pedis ſiniſtri.

SAlve ô benedictum Vulnus Siniſtri Pedis tui, mi JEſu, quod in ſpiritu reverenter exoſculor, te ex animo rogans, ut hujus tui ſanctiſſimi Vulneris merito evellas pedes meos à laqueo, quẽ ſtatuerunt mihi inimici mei, & à lapſu animam meam præſerves. Non veniat mihi pes ſuperbiæ, nec ambulem in mirabilibus ſuper me; ſed in animo contrito, & ſpiritu humilitatis à te ſuſcipiar.

Ad ſacrum hoc Vulnus tuum depono & offero omnem afflictionem meam: ut hanc cum Cruce & Paſſione tua conjungas, gratiamque largiaris quâ omnes adverſitates & miſerias amore tui ſuperem, tuæq; me ſemper voluntati conformem, Amen. Pater noſter &c.

Oratio II. ad S. Vulnus Pedis dexteri.

SAlve. ô benedictum Vulnus Dexteri Pedis tui, mi JEſu, quod in ſpiritu reverenter exoſculor, te ex animo rogans, ut hujus tui ſacratiſſimi Vulneris merito dirigas pedes meos ad curren-

dam

dam viam mandatorum tuorum, ut transeam de virtute in virtutem, donec videam, te DEum ac Dominum meum in Sion.

Ad hoc S. Vulnus tuum depono, & offero omnem fortunam ac felices successus meos, quos mihi divinæ providentiæ tuæ depositio clementer indulsit; ne illorum insolentiâ elatus animus, te summum bonum meum ad iram unquam provocet. Amen. Pater noster &c.

Oratio III. ad S. Vulnus Manûs sinistræ.

SAlve ô benedictum Vulnus Sinistræ Manûs tuæ, mi JEsu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut hujus tui sacratissimi Vulneris merito, miserearis fragilitatis & inconstantiæ meæ; & in omni bono proposito me confirmes; illum tantum tantúmque insuper mihi amorem præstes, ut dicere queam: Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Ad sacrum hoc Vulnus tuum depono omnia peccata mea, quæ aut ignorans, aut sciens, volens, unquam com-

misi. Tu mi Jesu, pretiosissimo tuo sanguine illa abluere digneris, ne coram justissimo Tribunali tuo æternæ damnationis sententiam contra me exposcant. Amen. Pater noster &c.

Oratio IV ad S. Vulnus Manus dexteræ.

SAlve, ô benedictum Vulnus Dexteræ Manus tuæ, mi JEsu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut hujus tui sacratissimi Vulneris merito, uberem mihi gratiam & opem contra hostium meorum visibilium & invisibilium conatus largiaris, & in novissimo die ad dexteram tuam statuas, ubi lætus audiam: Venite benedicti.

Ad sacrum hoc Vulnus tuum depono & offero tibi omnia bona opera mea (imò tua, quia tuæ gratiæ omnia, ut debeo, adscribo) cum humillima obsecratione, ut ea tuis sanctissimis operibus unita, æterno Patri offerre meamq; incipiam tuis infinitis meritis supplere digneris. Amen. Pater noster &c.

Oratio V. ad S. Vulnus Lateris Christi.

SAlve, ô benedictum Vulnus Lateris tui,

tui, mi JEsu: salve, ô fons amoris, ô thesaure inæstimabilis, ô requies animæ meæ! Ausim ne, benignissime JEsu, ad sacram hanc Aram, ad hoc sanctum sanctorum accedere, ardensque amore cor tuum deosculari? Per infinitam bonitatem tuam oro te, mi JEsu, ne hoc solatio me privare, nec ab hac unici mei refugii domo arcere velis. Eja anima mea, accurre cum fiducia ad thalamum suavissimi Sponsi tui, hic te omnibus molestiis tuis ac curis, quibus opprimeris, exonera: hic desideria tua, & cupiditates exple: hic in optatissima pace conquiesce. Videor mihi, ô JEsu amore tuo duce per amabilissimum sacri Lateris tui Vulnus ad Cor tuum intromitti. Hic te cum profundissima humilitate, ô JEsu, oro, ut agnoscas, quicquid unquam corde, ore aut opere in te peccavi. Hoc sacro sangvinis tui balneo munda cor meum, & benedicti cordis tui formam ac speciem imprime, tuique amoris igne accende, ne quicquam imposterum præter te amem, aut desiderem.

Ad ſacratiſſimum hoc cordis tui Vulnus, mi JEſu, omnia cordis mei vota ac deſideria pono. Ita oro, cor meum cordi tuo conſtringe, ut nullo unquam tempore ab invicem avellantur, ut verè cum Apoſtolo exclamem: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque inſtantia, neque futura, neque ulla creatura poterit nos ſeparare à charitate DEi, quæ eſt in Chriſto JEſu Domino noſtro. *Rom.* 8. Pater noſter, &c.

PRÆORATIO D. BERNARDI.

O JEſu, JEſu mi, ad Paſſionis tuæ glorioſa inſignia, in quibus ſalutem meam operatus es, totum me inclino. Tuæ victorioſæ Crucis regale vexillum in Nomine tuo Chriſte adoro. Tuum ſpineū diadema, tuos rubentes ſangvineos clavos, tuo ſacro lateri immerſam lanceam, tua vulnera, tuum ſangvinem, tuam mortem, tuam ſepulturam Chriſte ſupplex adoro, & glorifico.

tifico. Crucifige Cruci tuæ manus meas, & pedes meos, ac totum passioni tuæ conforma servum tuum Domine.

RHYTHMUS

D. Bernardi, de Passione Domini JEsu devotissimus.

SCribit Beatus Hugo Carthusianus in suo Hortulo devotionis, quod cùm S. Bernardus hanc sequentem orationem recitaret coram crucifixo, ad eam se Christus inclinâvit, & dulciter amplexus sit: Præterea quod Vrbanus Papa V. concesserit omnibus iis, qui prænominatam orationem recitarent cum devotione 1370 annos & insuper 50. dies indulgentiæ. Deniq; quod omnes, qui eam cum devotione dixerint, experturi sint in hora mortis singularis devotionis sensum.

DOMINICA DIE.

Ad Pedes.

SAlve mundi salutare,
Salve, salve JEsu chare:
Cruci tuæ me aptare,
Vellem verè, tu scis quare;
Da mihi tui copiam.
Ac si præsens sis accedo;
Imò te præsentem credo:

O quàm nudum hic te cerno:
Ecce tibi me prosterno,
Sis facilis ad veniam.
Clavos pedum, plagas duras,
Et tam graves impressuras,
Circumplector cum affectu,
Tuo pavens in conspectu,
Tuorum memor vulnerum.
Grates tantæ charitati,
Nos agamus vulnerati:
O amator peccatorum,
Reparator confractorum,
O dulcis Pater pauperum.
Quidquid est in me confractum,
Dissipatum, aut distractum;
Dulcis JEsu totum sana,
Tu restaura, tu complana,
Tam pio medicamine.
Te in tua cruce quæro,
Prout queo, corde mero;
Me sanabis hic ut spero:
Sana me, & salvus ero,
In tuo lavans sangvine.
Plagas tuas rubicundas,
Et fixuras tam profundas,
Cordi meo fac inscribi,

Ut configar totus tibi,
Te modis amans omnibus.
Dulcis JEſu pie DEus,
Ad te clamo licet reus:
Præbe mihi te benignum,
Ne repellas me indignum,
De tuis ſanctis pedibus.
Coram cruce procumbentem,
Hoſque pedes complectentem,
JEſu bone non me ſpernas;
Sed de cruce ſancta cernas,
Compaſſionis gratiâ.
In hac cruce ſtans directè,
Vide me ô mi dilecte.
Ad te totum me converte:
Eſto ſanus dic aperte;
Dimitto tibi omnia.

FERIA SECUNDA.

Ad Genua

SAlve JEſu Rex Sanctorum,
Spes votiva peccatorum:
Crucis ligno tanquam reus,
Pendens homo verus DEus,
Caducis nutans genibus.
O quàm pauper! ô quàm nudus!
Qualis eſt in cruce ludus,

Deriſorum jocus factus;
Sponte tamen non coactus,
Attritus membris omnibus.
Sangvis tuus abundanter
Fuſus fluit, inceſſanter:
Totus lotus in cruore,
Stans in maximo dolore,
Præcinctus vili tegmine.
O Majeſtas infinita!
O egeſtas inaudita!
Quis pro tanta charitate,
Quæret te in veritate,
Dans ſangvinem pro ſangvine.
Quid ſum tibi reſponſurus,
Actu vilis, corde durus?
Quid rependam amatori,
Qui elegit pro me mori,
Ne dupla morte morerer!
Amor tuus, amor fortis,
Quem non vincunt jura mortis:
O quàm pia me ſub cura,
Tua foves in preſſura,
Ne morſu mortis vulnerer!
Ecce tuo pro amore,
Te complector cum rubore,
Me coapto diligenter,

Tu ſcis cauſam evidenter,
Sed ſuffer & diſſimula.
Hoc quod ago non te gravet,
Sed me ſanet, & me lavet,
Inquinatum & ægrotum,
Sangvis fluens hic per totum,
Ut non ſuperſit macula,
In hac cruce te cruentum,
Te contemptum, & diſtentum,
Ut requiram me impelle,
Et hoc imple meum velle,
Facturus quod deſidero.
Ut te quæram mente purâ,
Sit hæc prima mea cura:
Non eſt labor, nec gravabor,
Sed ſanabor, & mundabor,
Cùm te complexus fuero.

FERIA TERTIA.

Ad manus.

SAlve JEſu Paſtor bone,
Fatigatus in agone,
Qui per lignum es diſtractus,
Et ad lignum es compactus,
Extenſis ſanctis manibus.
Manus ſanctæ vos avete,
Roſis novis adimpletæ:

Hos ad ramos duræ junctæ,
Et crudeli ferro punctæ,
  Tot guttis decurrentibus;
Ecce fluit circumquaque
Manu tuâ de utraque,
Sangvis tuus copiosè,
Rubicundus instar rosæ,
  Magnæ salutis pretium.
Manus clavis perforatas,
Et cruore purpuratas,
Corde premo, præ amore,
Sitibundo bibens ore,
  Cruoris stillicidium.
O quàm largè te exponis,
Promptus malis, atque bonis.
Trahis pigros, pios vocas,
Et in tuis ulnis locas,
  Paratus gratis omnibus.
Ecce tibi me præsento,
Vulnerato & cruento,
Semper ægris misereris,
De me ergo ne graveris,
  Qui præsto es amantibus.
In hac cruce sic extensus,
In te meos trahe sensus:
Meum posse, velle, scire,

Cru-

Cruci tuæ fac servire,
Me tuis apta brachiis.
In tam lata charitate,
Trahe me in veritate,
Propter crucem tuam almam,
Trahe me ad crucis palmam,
Dans finem meis vitiis.
Manus sanctæ vos amplector,
Et gemendo condelector,
Grates ago plagis tantis,
Clavis tantis, guttis sanctis,
Dans lacrymas cum osculis.
In cruore tuo lotum,
Me commendo tibi totum:
Tuæ sanctæ manus istæ,
Me defendant JEsu Christe,
Extremis in periculis.

FERIA QUARTA.

Ad Latus.

SAlve JEsu summe bonus,
Ad parcendum nimis pronus;
Membra tua macilenta,
Quàm acerbè sunt distenta,
In ramo crucis torrida.
Salve salus Salvatoris,
In quo latet mel dulcoris:

In

In quo patet vis amoris,
Ex quo scatet fons cruoris,
Qui corda lavat sordida.
Ecce tibi appropinquo,
Parce JEsu si delinquo,
Verecundâ quidem fronte,
Ad te tamen veni sponte,
Scrutari tua vulnera.
Salve mitis apertura,
De qua manat vena pura,
Porta patens & profunda,
Super rosam rubicunda,
Medela salutifera.
Odor tuus super vinum,
Virus pellens serpentinum;
Potus tuus, potus vitæ:
Qui sititis huc venite,
Tu dulce vulnus aperi.
Plaga rubens aperire,
Fac cor meum te sentire,
Sine me in te transire,
Vellem totus introire:
Pulsanti pande pauperi.
Ore meo te contingo,
Et ardenter ad me stringo;
In te meum cor intingo,

Et ferventi corde lingo,
Me totum in te trajice.
O quàm dulcis sapor iste!
Qui te gustat, JEsu Christe,
Tuo victus à dulcore,
Mori posset præ amore.
Te unum amans unicè,
In hac fossa me reconde,
Infer meum cor profunde;
Ubi latens incalescat,
Et in pace conquiescat,
Ne prorsus quenquam timeat.
Horâ mortis meus flatus,
Intret JEsu tuum latus,
Hinc expirans in te vadat,
Ne hunc leo trux invadat,
Sed apud te permaneat.

FERIA QUINTA.

Ad Pectus.

SAlve salus mea DEus,
JEsu dulcis amor meus;
Salve Pectus reverendum,
Cum tremore contingendum,
Amoris domicilium.
Ave Thronus Trinitatis,
Arca latæ charitatis,

Firmamentum infirmitatis
Pax & pausa fatigatis,
Humilium triclinium.
Salve JEsu reverende,
Me præsentem hic attende,
Accedentem me succende,
Pæcordiali gratiâ.
Pectus mihi confer mundum,
Ardens pium gemebundum;
Voluntatem abnegatam,
Tibi semper conformatam,
Junctâ virtutum copiâ.
JEsu, dulcis, Pastor pie,
Fili Dei, & MARIÆ:
Largo fonte tui cordis,
Fœditatem meæ sordis,
Benigne Pater dilue.
Ave splendor & figura,
Summi DEi genitura,
De thesauris tuis plenis,
Desolatis, & egenis,
Munus clementer proflue.
Dulcis JEsu Christi pectus,
Tuo fiam dono tectus,
Absolutus à peccatis;
Ardens igne charitatis,

Ut semper te recogitem.
Tu abyssus es sophiæ,
Angelorum harmoniæ
Te collaudent, ex te fluxit,
Quod Joannes cubans suxit,
In te fac ut inhabitem.
Ave fons benignitatis,
Plenitudo Deitatis
Corporalis in te manet,
Unitatem in me sanet,
Quod tu confers consilium.
Ave verum templum DEi,
Precor miserere mei:
Tu totius arca boni,
Fac electis me apponi,
Vas dives, DEus omnium.

FERIA SEXTA.

Ad Cor.

SUmmi Regis Cor aveto,
Te saluto corde læto,
Te complecti me delectat,
Et hoc cor meum affectat,
Ut ad te loquar animes.
Quo amore vincebaris,
Quo dolore torquebaris,
Cum te totum exhaurires,

Ut te

Ut te nobis impertires,
Et à morte nos tolleres?
O mors illa quam amara!
Quam immitis, quam avara!
Quæ per cellam introivit,
In qua mundi vita vivit.
Te mordens cor dulcissimum.
Propter mortem, quam tulisti,
Quando pro me defecisti,
Cordis mei, Cor dilectum,
In te meum fer affectum,
Hoc est quod opto plurimum.
O cor dulce prædilectum,
Munda cor meum illectum,
Et in vanis induratum,
Pium fac, & timoratum,
Repulso tetro frigore.
Per medullam cordis mei,
Peccatoris atque rei,
Tuus amor transferatur,
Quo cor tuum rapiatur,
Langvens amoris vulnere.
Dilatare aperire,
Tanquam rosa flagrans mirè,
Cordi meo te conjunge,
Unge illud, & compunge:

Qui amat te, quid patitur?
Quidnam agat neſcit verè,
Nec ſe valet cohibere,
Nullum modum dat amori,
Nullâ morte, vellet mori,
Amore quiſquis vincitur.
Vivâ cordis voce clamo,
Dulce Cor te namque amo:
Ad cor meum inclinare,
Ut ſe poſſit applicare,
Devoto tibi pectore.
Tuo vivat in amore,
Nec dormittet in torpore,
Ad te oret, ad te ploret,
Te adoret, & honoret,
Te fruens omni tempore.
Roſa cordis aperire,
Cujus odor flagrat mirè,
Te dignare dilatare,
Fac cor meum anhelare,
Flamma deſiderij.
Da cor cordi ſociari,
Tecum JEſu vulnerari:
Nam cor cordi ſimilatur,
Si cor meum perforatur,
Sagittis improperij.

Infer tuum intra ſinum
Cor, ut tibi ſit vicinum,
In dolore gaudioſo,
Cum deformi ſpecioſo,
Quod vix ſeipſum capiat.
Hic repauſet, hic moretur,
Ecce jam poſt te movetur,
Te ardenter vult ſitire,
JEſu noli contraire,
Ut benè de ſe ſentiat.

SABBATO.

Ad Faciem.

SAlve caput cruentatum,
Totum ſpinis coronatum;
Conquaſſatum, vulneratum,
Arundine verberatum,
Facie ſputis illita.
Salve, cujus dulcis vultus,
Immutatus & incultus,
Immutavit ſuum florem,
Totus verſus in pallorem,
Quem cæli tremit curia.
Omnis vigor atque viror,
Hinc receſſit, non admiror;
Mors apparet in aſpectu,
Totus pendens in defectu,

Attritus ægra macie.
Sic affectus, sic despectus,
Propter me sic interfectus;
Peccatori tam indigno,
Cum amoris intersigno,
Appare clarâ facie.
In hac tua passione,
Me agnosce pastor bone,
Cujus semper mel ex ore,
Haustum lactis cum dulcore,
Præ omnibus deliciis.
Non me reum asperneris,
Non indignum dedigneris,
Morte tibi jam vicinâ
Tuum caput hic inclina,
In meis pausa brachiis.
Tuæ sanctæ Passioni,
Me gaudentem interponi,
In hac cruce tecum mori,
Præsta crucis amatori;
Sub cruce tua moriar.
Morti tuæ tam amaræ,
Grates ago, JEsu chare:
Qui es clemens, pie DEus,
Fac quòd petit tuus reus,
Ut absque te non finiar.

Dum me mori est necesse,
Noli mihi tunc deesse;
In tremenda mortis hora,
Veni JEsu absque mora,
Tuere me & libera.
Cùm me jubes emigrare,
JEsu chare tunc appare:
O amator amplectende!
Temet ipsum tunc ostende,
In Cruce salutifera, Amen.

Petitio benedictionis.

AMantissime JESU, qui expansis in cruce brachiis ad amplexum me invitas: Inclinato capite osculum mihi offers: en accurro, gratiamque oblatam admitto. Sed non dimittam te, nisi benedixeris mihi, sicuti famulæ tuæ S. Hedwigi, te in Cruce veneranti, manu dexterâ clavo exemptâ, (Cruce illam in modum bene precantis signando) benedixisti.

PARS SEPTIMA.

De Cultu DEIPARÆ Virginis.

Non est sincerus CHRISTI amator & cultor, qui negligit Matrem ejus. Probis filijs nihil gratius est, quàm si videant honorari Parentes suos, quos ipsi jure naturæ exquisitis colunt officijs. Sibi imputat Christus, quidquid præstitum fuerit Matri suæ. Vt igitur illi gratificemur, pariterq; Augustissima cælorum terrarumque Reginæ nobis conciliemus amorem & favorem: toto ingenio & corde in laudes & cultum ipsius effundamur. Iuvabunt, quæ sequuntur Pietatis erga ipsam Exercitia, quorum alia quotidie, alia statis temporibus exercenda erunt.

OFFICIUM BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

AD MATUTINUM.

Ave Maria, gratia plena Dominus&c.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuã.
℣. DEus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, &c. Alleluja.
Vel à Septuagesima usque ad Pascha Laus tibi Domine, Rex æterne gloriæ.
Invitatorium. Ave Maria gratiâ plena Dn⁹ tecum. *Repetitur.* Ave Maria gratiâ plena Dñus tecum. *Psalm. 94.*

VEnite exultemus Domino, jubilemus DEo salutari nostro: præoccupemus faciem ejus in confessione: & in Psalmis jubilemus ei. Ave Maria gratiâ plena Dominus tecum.

Quoniam DEus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos: quoniam non repellet Dominus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipse conspicit. Dominus tecum.

Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundaverunt manus ejus: Venite adoremus & procidamus ante DEum, ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipse est Dominus DEus noster, nos autem populus

ejus.

ejus, & oves pascuæ ejus. Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra: sicut in exacerbatione secundùm diem tentationis in deserto; ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt, & viderunt opera mea. Dominus tecum.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi: semper hi errant corde; ipsi verò non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.

Gloria Patri, & Filio, &c. Dominus tecum, Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum.

Hymnus.

QUem terra, pontus, sidera,
Colunt, adorant, prædicant,
Trinam regentem machinam,
Claustrum Mariæ bajulat.

Cui luna, sol, & omnia
Deserviunt per tempora,
Perfusa cæli gratiâ,
Gestant puellæ viscera.

Beata Mater munere,
Cujus supernus artifex,
Mundum pugillo continens,
Ventris sub arca clausus est.
Beata cæli Nuntio,
Fœcunda Sancto Spiritu,
Desideratus gentibus,
Cujus per alvum fusus est.
JEsu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.
Tres Psalmi sequentes dicuntur diebus Dominicis, Feria II. & V. ad Nocturn.
Antiph. Benedicta tu.
Psalm. 8.

DOmine Dominus noster: quàm admirabile est Nomen tuum in universa terra.

Quoniam elevata est magnificentia tua: super cælos.

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem tuam propter inimicos tuos; ut destruas inimicum & ultorem.

Quoniam videbo cælos tuos, opera digi-

digitorum tuorum: lunam & stellas, quæ tu fundâsti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, gloriâ & honore coronâsti eum & constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus: oves & boves universos, insuper & pecora campi.

Volucres cæli, & pisces maris: qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster: quàm admirabile est Nomen tuum in universa terra.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Ant. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Antiph. Sicut myrrha.

Psalmus 18.

COEli enarrant gloriam DEi: & opera manuum ejus annunciat firmamentũ

Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ, neque sermones: quorum non audiantur voces eorum.
In omnem terram exivit sonus eorũ: & in fines orbis terræ verba eorum.
In sole posuit tabernaculum suum: & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.
Exultavit ut gigas ad currendam viam: à summo cælo egressio ejus.
Et occursus ejus usque ad summum ejus: nec est, qui se abscondat à calore ejus.
Lex Domini immaculata convertens animas; testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis.
Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda: præceptum Domini lucidum illuminans oculos.
Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi: judicia Domini vera justificata in semetipsa.
Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum: & dulciora super mel & favum.
Etenim servus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa.
Deli-

Delicta quis intelligit? ab occultis meis, munda me, & ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine adjutor meus, & Redemptor meus. Gloria Patri, &c.

An. Sicut myrrha electa odorem dedisti suavitatis Sancta Dei genitrix.

Antiph. Ante torum.

Psalm. 23

Domini est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi qui habitant in ea.

Quia ipse super maria fundavit eum, & super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco Sancto ejus?

Innocens manibus, & mundo corde; qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem à Domino: & misericordiam à Deo salutari suo.

Hæc

Hæc eſt generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Ant. Ante torum hujus Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis

℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te DEus in æternum.

Pater noſter, *cum reliquis, ut infrà in fine tertii Nocturni.*

Tres Pſalmi ſequentes dicuntur feria III. & VI. ad Nocturn.

Antiph. Specie tua.

Pſalmus 44.

ERuctavit cor meum verbum bonum: dico

dico ego opera mea Regi.
Lingva mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.
Speciosus formâ præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis: propterea benedixit te DEus in æternum.
Accingere gladio tuo ſuper femur tuum: potentiſſimè.
Specie tua & pulchritudine tuâ: intende, proſperè procede, & regna.
Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.
Sigittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent: in corda inimicorum Regis.
Sedes tua DEus in ſæculum ſæculi: virga directionis, virga Regni tui.
Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, præ conſortibus tuis.
Myrrha & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus delectaverunt te filiæ Regum in honore tuo.
Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato: circumdata varietate.
Audi

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliviſcere populum tuum, & domum Patris tui.

Et concupiſcet Rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus DEus tuus, & adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus: in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi Virgines poſt eam: proximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætitia & exultatione: adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii: conſtitues eos principes ſuper omnem terram.

Memores erunt nominis tui: in omni generatione & generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum: & in ſæculum ſæculi.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Ant. Specie tua & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna.

Ant.

Antiph. Adjuvabit eam.

Psalm. 45

DEus noſter refugium & virtus: adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus, dum turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, & turbatæ ſunt aquæ eorum: conturbati ſunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem DEi: ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.

DEus in medio ejus non commovebitur: adjuvabit eã Deus manè diluculo.

Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna: dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

Dominus virtutum nobiſcum: ſuſceptor noſter Deus Jacob.

Venite & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram: auferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum conteret, & confringet arma: & ſcuta comburet igni.

Vaca-

Vacate & videte, quoniam ego ſum DEus, exaltabor in gentibus & exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter DEus Jacob.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Ant. Adjuvabit eam DEus vultu ſuo. Deus in medio ejus non comovebitur.

Antiph. Sicut lætantium.

Pſalm. 86.

FUndamenta ejus in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob.

Glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei.

Memor ero Rahab Babylonis ſcientium me.

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum: hi fuerunt illic.

Nunquid Sion dicet, homo & homo natus eſt in ea; & ipſe fundavit eam Altiſſimus.

Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & principum: horum qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium: habitatio eſt in te.

Gloria

Gloria Patri, & Filio, &c.

Ant. Sicut lætantium omnium nostrũ habitatio est in te, Sancta Dei genitrix.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te DEus in æternum. Pater noster &c.

Absolutio. Precibus & meritis &c. *vide pag. 326 cum sequentibus Lectionibus.*

Tres Psalmi sequentes dicuntur, Feria IV. & Sabbato ad Nocturn.

Antiph. Gaude Maria Virgo.

Psalmus 95.

CAntate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, & benedicite nomini ejus, annunciate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter gentes gloriam ejus: in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis est super omnes Deos.

Quoniam omnes dij gentium dæmonia: Dominus autem cælos fecit.

Confessio & pulchritudo in conspectu ejus: sanctimonia, & magnificentia

in sanctificatione ejus.

Afferte Domino Patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias & introite in atria ej9: adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur à facie ejus universa terra: dicite in gentibus quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur: judicabit populos in æquitate.

Lætentur cæli, & exultet terra, commoveatur mare & plenitudo ejus: gaudebunt campi & omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum à facie Domini quia venit: quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate: & populos in veritate sua.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Ant. Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.

Antiph. Dignare me.

Psalm 96

DOminus regnavit, exultet terra: lætentur insulæ multæ. Nu-

Nubes & caligo in circuitu ejus: justitia & judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet: & inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ, vidit & commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cæli justitiam ejus: & viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes qui adorant sculptilia: & qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum omnes Angeli ejus, audivit & læta est Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ, propter Judicia tua Domine.

Quoniam tu Dominus Altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes Deos.

Qui diligitis Dominum, odite malũ, custodit Dominus animas Sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux ortu est justo: & rectis corde lætitia.

Lætamini justi in Deo: & confitemini

ni memoriæ sanctificationis ejus.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Ant. Dignare me laudare te, V. sacratæ: da mihi virtutem contra hostes tuos.
Ant. Post partum Virgo.

Psalmus 97.

CAntate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.
Salvavit sibi dextera ejus, & brachium sanctum ejus.
Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium revelavit justitiam suam.
Recordatus est misericordiæ suæ: & veritatis suæ domui Israël.
Viderunt omnes termini terræ, salutare DEi nostri.
Jubilate DEo omnis terra, cantate & exultate, & psallite.
Psallite Domino in cithara, in cithara & voce psalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.
Jubilate in conspectu Regis Domini, moveatur mare, & plenitudo eus, orbis terrarum, & qui habitant in eo.
Flumina plaudent manu, simul mon-

tes

tes exultabunt à conſpectu Domini, quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in juſtitia: & populos in æquitate.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Ant Poſt partũ Virgo inviolata permanſiſti; Dei Genitrix intercede pro nobis.

Antiph. in Adventu & Annuntiat. . . *Ant.* Angelus Domini nuntiavit Mariæ, & concepit de Spiritu ſancto.

℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te DEus in æternum.

Pater noſter. *ſecretò* ℣. Et ne nos &c.

Abſolutio.

PRecibus & meritis B. MARIÆ ſemper Virginis, & omnium ſanctorum, perducat nos Dominus ad regna cælorum. ℟. Amen. ℣. Jube Domine benedicere.

Benedictio Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria ℟. Amen.

Lectiones ante & poſt Adventum.

Lectio I. Eccleſ. 24.

IN omnibus requiem quæſivi, & in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit & dixit mihi creator omni-

um: & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi; in Jacob inhabita, & in Israel hæreditare & in electis meis mitte radices. Tu autem Domine miserere nobis. ℞. Deo gratias.

℞. Sancta & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti. ℣. Benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui. ℞. Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Jube Domine benedicere.

Benedictio. Ipsa Virgo Virginum, intercedat pro nobis apud Dominū. ℞. Amen

Lectio II.

ET sic in Sion firmata sum, & in civitate sanctificata similiter requievi, & in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, & in parte DEi mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea. Tu autem Domine miserere nobis.

℞. DEo gratias.

℣. Beata es Virgo Maria, quæ Dominum portâsti Creatorē mundi, Genuisti,

qui

qui te fecit & in æternũ permanes Virgo
℣. Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum. Genuisti, qui te fecit, & in æternum permanes Virgo.

Quando dicitur. Te Deum, *Assumitur in fine hujus Responsorij,* ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: Genuisti qui te fecit, & in æternum permanes Virgo.

℣. Jube Domine benedicere.

Benedictio. Per Virginem Matrem concedat nobis Dominus salutem, & pacem. ℞. Amen.

Lectio III.

QUasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion; quasi palma exaltata sum in Cades & quasi plantatio rosæ in Jericho. Quasi oliva speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum juxta aquas in plateis. Sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi. Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. Tu autẽ Dñe miserere nobis. ℞. Deo gratias.

In adv. & Annuntiat. B. V. M.

℣. Jube Domine benedicere.

Benedictio. Nos cum prole pia, &c.

Lectio I.

MIssus est Angelus Gabriel à DEo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Tu autem Domine miserere nobis. ℟. DEo gratias.

℟. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginē desponsatam Joseph, nuntians ei verbum, & expavescit Virgo de lumine. Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Dominum. Ecce concipies, & paries, & vocabitur Altissimi Filius.

℣. Dabit ei Dominus DEus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum. Ecce concipies, & paries, & vocabitur Altissimi Filius.

℣. Jube Domine benedicere.

Benedictio. Ipsa Virgo Virginum &c.

Lectio II.

QUæ cùm audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: ne

ne timeas Maria, inveniſti enim gratiam apud Deum, ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus JEſum. Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus DEus ſedem David Patris ejus; & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Tu autem Domine, miſerere nobis. ℟. DEo gratias.

℟. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum. Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi; quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius DEi. ℣. Quomodo fiet iſtud, quoniam Virum non cognoſco? & reſpondens Angelus dixit ei; Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, quod enim ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei.

℣. Jube Domine benedicere.

Benedictio. Per Virginem &c. ℟. Amen.

Lectio III.

DIxit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet iſtud, quoniam Virum non cognoſco? & reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperveniet in

te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoq; & quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei. Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit Filium in ſenectute ſua, & hic menſis eſt ſextus illi, quæ vocatur ſterilis, quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Tu autem Domine miserere nobis. ℟. Deo gratias. ℟. Suſcipe Verbum Virgo Maria, quod tibi à Domino per Angelum transmiſſum eſt: concipies, & paries Deum pariter, & hominem, ut benedicta dicaris inter omnes mulieres. ℣. Paries quidem Filium & Virginitatis non patieris detrimentum: efficieris gravida, & eris ſemper Mater intacta. ℟. Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.

Sequens reſponſorium omittitur, quando dicitur Te Deum laudamus.

℟. Felix namq; es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima: Quia ex te ortus eſt ſol juſtitiæ, Chriſtus Deus noſter. ℣. Ora pro populo, interveni

pro

pro clero, intercede pro devoto fæmineo ſexu; ſentiant omnes tuũ juvamen, quicunq; celebrant tuam ſanctam commemorationem. ℟. Quia ex te ortus eſt ſol juſtitiæ, Chriſtus DEus noſter. Gloria Patri &c. Chriſtus Deus noſter.

A Nativitate Domini usq; ad Septuageſimam, & à Dominica Reſurrectionis usq; ad Adventum dicitur ad libitum Te Deum, *In Adventu autem, & à Septuag usq; ad Paſcha nunquã illud niſi in feſtis B. V M. dicit.*

HYMNUS

SS. *Ambroſii & Auguſtini.*

TE DEum laudamus, te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, tibi cæli & univerſæ poteſtates.

Tibi Cherubim & Seraphim, inceſſabili voce proclamant.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEus Sabaoth.

Pleni ſunt cæli & terra, Majeſtatis gloriæ tuæ.

Te glorioſus Apoſtolorum chorus,

Te Prophetarum, laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus, laudat exercitus.

Te per orbem terrarum, sancta confitetur Ecclesia.

Patrem immensæ Majestatis.

Venerandum tuum verum & unicum Filium.

Sanctum quoq; paracletum Spiritum

Tu Rex gloriæ Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna cælorum.

Tu ad dexteram DEi sedes, in gloria Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo quæsumus tuis famulis subveni, quos pretioso sangvine redemisti.

Æterna fac cum sanctis tuis in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos, & extolle illos usque in æternum.

Per ſingulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Dignare Domine die iſto, ſine peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Dñe, miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te.

In te Domine ſperavi, non confundar in æternum.

AD LAUDES.

℣. Deus in adjutoriũ &c. Gloria Patri &c Alleluja. *An.. ante Advent.* Aſſumpta eſt. *In adv* Miſſus eſt. *Poſt adv* O admirabile. *Pſalm. 92.*

DOminus regnavit, decorem indutus eſt: indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.

Etenim firmavit orbem terræ: qui non commovebitur.

Parata ſedes tua ex tunc: à ſæculo tu es

Elevaverunt flumina Domine: elevaverunt flumina vocem ſuam.

Elevaverunt flumina fluctus ſuos: à vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris: mirabilis

in altis Dominus.

Testimonia tua credebilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Antiph ante adv. Assumpta est Maria in cælum: gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum. *Ant. in adv* Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem desponsatam Joseph. *Ant. post adv.* O admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est, & procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem.

Ant. ante adv. Maria Virgo, *In adv.* Ave Maria. *post adv.* Quando natus es.

Psalm 99.

JUbilate Deo omnis terra: servite Domino in lætitia.

Introite in conspectu ejus: in exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus; ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Populus ejus & oves pascuæ ejus: introite portas ejus in confessione, atria ejus

ejus in hymnis, confitemini illi.

Laudate nomen ejus: quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus: & usq; in generationem, & generationem veritas ejus. Gloria &c.

Ant. ante adv. Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio. *Ant. in adv.* Ave Maria gratiâ plena, Domini tecum, benedicta tu in mulieribus, Alleluja. *Ant. post adv.* Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scriptutæ; sicut pluvia in vellus descendisti ut salvum faceres genus humanum: te laudamus Deus noster.

Ant. ante adv. In odorem. *In adv.* Non timeas Maria. *post adv.* Rubum.

Psalmus 62.

DEus, Deus meus: ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea: quam multipliciter tibi caro mea.

In terra deserta, & invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi: ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.

Sit

Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo lavabo manus meas.

Sicut adipe, & pingvedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui super ſtratum meum, in matutinis meditabor in te: quia fuiſti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæſit anima mea poſt te: me ſuſcepit dextera tua.

Ipſi verò in vanum quæſierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex verò lætabitur in DEo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo: quia obſtructum eſt os loquentium iniqua.

Pſalmus 66

DEus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

Ut cognoſcamus in terra vitam tuam in omnibus gentibus ſalutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

La

Lætentur, & exultent gentes: quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi DEus: confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ. Gloria Patri, &c.

Ant ante adv In odorem ungventorum tuorum currimus, adolescentulæ dilexerunt te nimis. *In adv.* Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Dominum, ecce concipies, & paries Filium, Alleluja. *Post adv.* Rubum, quem videbat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem Virginitatem, Dei Genitrix intercede pro nobis. *Ant. ante adv.* Benedicta Filia. *In adv.* Dabit ei Dominus. *Post adv.* Germinavit.

Canticum trium puerorum. Dan. 3.

BEnedicite omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cæli Domino.

Bene-

Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.
Benedicite sol & luna Domino: benedicite stellæ cæli Domino.
Benedicite omnis imber & ros Domino: benedicite omnes spiritus Dei Domino.
Benedicite ignis & æstus Domino: benedicite frigus & æstus Domino.
Benedicite rores & pruina Domino: benedicite gelu & frigus Domino.
Benedicite glacies & nives Domino: benedicite noctes & dies Domino.
Benedicite lux & tenebræ Domino: benedicite fulgura & nubes Domino.
Benedicat terra Dominum, laudet & superexaltet eum in sæcula.
Benedicite montes & colles Domino: benedicite universa germinantia in terra Domino.
Benedicite fontes Domino: benedicite maria & flumina Domino.
Benedicite cete & omnia quæ moventur in aquis Domino: benedicite omnes volucres cæli Domino.
Bene-

Benedicite omnes bestiæ & pecora Domino: benedicite filii hominum Dño.
Benedicat Israel Dominum, laudet & perexaltet eum in sæcula.
ſuBenedicite Sacerdotes Domini Domino: benedicite servi Domini Domino.
Benedicite spiritus & animæ justorum Domino: benedicite sancti & humiles corde Domino.
Benedicite Annania, Asaria, Misaël Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.
Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in sæcula.
Benedictus es Domine in firmamento cæli, & laudabilis & gloriosus, & superexaltatus in sæcula.
Hic non dicitur Gloria Patri, *neq;* Amen.
Ant. ante adv. Benedicta filia tu á Domino: quia per te fructum vitæ comunicavim⁹. *In adv.* Dabit ei Dominus sedem David Patris ejus: & regnabit in æternū.
Post adv. Germinavit radix Jesse, orta est stella ex Jacob, Virgo peperit Salvatorem: te rogamus Deus noster.
Antiph.

Ant. ante adv. Pulchra es. *In adv.* Ecce Ancilla Domini. *Post adv.* Ecce Maria.

Psalm. 148.

LAudate Dominum de cælis: laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum sol & luna: laudate eum omnes stellæ & lumen.

Laudate eum cæli cælorum: & aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent Nomen Domini.

Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.

Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit.

Laudate Dominum de terra: dracones & omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum ejus.

Montes & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri,

Bestiæ & universa pecora: serpentes, & volucres pennatæ.

Reges terræ, & omnes populi: principes

cipes, & omnes Judices terræ.

Juvenes & Virgines: ſenes cum junioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum eſt Nomen ejus ſolius.

Confeſſio ejus ſuper cælum & terram: & exaltavit cornu populi ſui.

Hymnus omnibus ſanctis ejus: Filiis Iſràël populo appropinquanti ſibi.

Pſalmus 149.

CAntate Domino canticum novum: laus ejus in Eccleſia ſanctorum.

Lætetur Iſràël in eo qui fecit eum, & filii Sion exultent in Rege ſuo.

Laudent nomen ejus in choro in tympano & pſalterio pſallant ei.

Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo: & exaltabit manſuetos in ſalutem.

Exultabunt ſancti in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis.

Exaltationes DEi in gutture eorum: & gladij ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis

ferreis.

Ut faciant in eis judicium conscriptũ; gloria hæc est omnibus sanctis ejus.

Psalmus 150.

LAudate Dominum in sanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejꝰ.

Laudate eum in virtutibus ejus, laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in Psalterio & cithara.

Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo.

Laudate eum in cymbalis benè sonantibus; laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum. Gloria Patri &c.

Ant. ante adv. Pulchra es, & decora filia Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. *In adv.* Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum *post adv.* Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Alleluja.

Sequens Capitulum dicitur ante & post adv.

Cap.

Capitulum. Cant. 6.

VIderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt & reginæ laudaverunt eam. ℟. DEo gratias.

Sequens Capitulum dicitur in adventu

Capitulum Isai 11.

EGredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & quiescet super eum spiritus Domini. ℟ Deo gratias.

Hymnus.

O Gloriosa Virginum,
Sublimis inter sidera,
Qui te creavit parvulum
Lactente nutris ubere.
Quod Eva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine;
Intrent ut astra flebiles,
Cæli recludis cardines.
Tu Regis alti janua,
Et aula lucis fulgida
Vitam datam per Virginem,
Gentes redemptæ plaudite.
JESU tibi sit gloria
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Benedicta tu in mulieribus.
℟. Et benedictus fructus ventris tui.
Antiph. ante adv. Beata Dei Genitrix Maria. *In adv.* Spiritus sanctus. *post adv.* Mirabile. *Tempore Paschali omissâ prædicta Antiph dicitur Ant.* Regina cæli.

Canticum Zachariæ Luc. 1.

BEnedictus Dominus DEus Israel: quia visitavit & fecit Redemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os Sanctorum: quæ à sæculo sunt Prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris: & de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris: & memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum: daturum se nobis

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi.

In sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus nostris.

Et tu Puer Propheta altissimi vocaberis

beris: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus: in remiſſionem peccatorum eorũ.

Per viſcera miſericordiæ DEi noſtri: in quibus viſitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Ant. ante adv. Beata Dei Genitrix Maria Virgo perpetua, templum Domini, ſacrarium Spiritus ſancti, ſola ſine exemplo placuiſti Domino noſtro JEſu Chriſto; ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu. *In adv.* Spiritus ſanctus in te deſcendet Maria; ne timeas: habebis in utero Filium Dei, allel. *Poſt adv.* Mirabile myſterium declaratur hodie, innovantur naturæ, DEus homo factus eſt: id quod fuit permanſit, & quod non erat, aſſumpſit, non commixtionem paſſus, neque diviſionem.

Tempore paſchali Regina cæli lætare, alleluja; Quia quem meruiſti portare, allel.

alleluja. Resurrexit sicut dixit, alleluja. Ora pro nobis Deum, alleluja. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.
℣. Domine exaudi orationem &c.

Oratio ante & in Adventu.

DEus, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero, Verbum tuum Angelo nunciante, carnem suscipere voluisti, præsta supplicibus tuis; ut, qui verè eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Christum &c. ℟. Amen.

Oratio post Advent.

DEus, qui salutis æternæ, B. Mariæ Virginitate fœcundâ humano generi præmia præstitisti; tribue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum JEsumChristum Filium tuum &c. ℟. Amen.

Ante & post Adv. pro Sanctis.

Ant. Sancti DEi omnes intercedere dignemini pro nostra omniumq; salute.
℣. Lætamini in Dño, & exultate justi.
℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Oratio.

Pro-

PRotege Domine populum tuum, & Apostolorum tuorum Petri & Pauli, & aliorum Apostolorum patrocinio confidentem, perpetuâ defensione conserva.

OMnes sancti tui, quæsumus Domine, nos ubique adjuvent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus, & pacem tuam nostris concede temporibus, & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam, iter, actus, & voluntates nostras, & omnium famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone; benefactoribus nostris sempiterna bona retribue, & omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede. Per Dom. &c.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

In advent pro Sanctis.

Antiph. Ecce Dominus veniet, & omnes Sancti ejus cum eo; & erit in die illa lux magna, alleluja.

℣ Ecce apparebit Dñus super nubem can-

didam. ℟. Et cum eo Sanctorum millia.

Oratio.

CONſcientias noſtras, quæſumus Domine, viſitando purifica: ut veniens JEſus Chriſtus Filius tuus Dominus noſter cum omnibus Sanctis, paratam ſibi in nobis inveniat manſionẽ. Qui tecũ &c ℣. Domine exaudi &c. Benedicamus &c.

Si terminandum ſit Officium, dicuntur ea quæ ſequuntur: alioquin ſi alia ſubſequatur hora, in fine ultimæ horæ Pater noſter. *totum ſecretò*

℣. Dominus det nobis ſuam pacem.

℟. Et vitam æternam. Amen.

Deinde dicitur una ex infrà poſitis Antiph. flexis genibus (præterquam in diebus Dominicis à primis Veſperis Sabbati, & toto tempore Paſchali) & ſimiliter in fine Completorij.

A Completorio Purificationis usq; ad Nonam Sabbati ſancti incluſivè.

Ant. AVe Regina cælorum, ave Domina Angelorum; Salve radix, ſalve porta, ex qua mundo lux eſt orta. Gaude Virgo glorioſa, ſuper omnes ſpecioſa; vale ô valde decora, & pro nobis Chriſtum exora.

℣.

℣. Dignare me laudare te Virgo ſacrata
℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.
Oremus.

CONcede miſericors Deus fragilitati noſtræ præſidium; ut qui ſanctæ Dei Genitricis memoriam agimus, interceſſionis ejus auxilio à noſtris iniquitatibus reſurgamus. Per eundem Chriſtum &c. ℣. Divinum auxilium &c.

A Completorio Purificationis usq; ad Nonam Sabbati poſt Pentecoſten incluſivè.

Ant. Regina cæli &c. ut ſuprà f. 346.
℣. Gaude & lætare Virgo Maria, alleluja
℟. Quia ſurrexit Dominus verè, allel.
Oremus.

DEus, qui per reſurrectionem Filii tui Domini noſtri JEſu Chriſti mundum lætificare dignatus es: præſta quæſumus, ut per ejus Genitricem Virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem Chriſtum &c. ℟. Amen.

A Completorio Sabbati poſt Pentecoſten usq; ad Nonam Sabbati ante advent.

Ant. Salve Regina, Mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalve. Ad te clamamus exules filii Evæ. Ad te ſuſpi-

ramus gementes & flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte; Et JEsum benedictum fructũ ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens! ô pia! ô dulcis V. Maria.

℣. Ora pro nobis &c.

OMnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus & animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparâsti; da ut cujus commemoratione lætamur, ejus piâ intercessione ab instantibus malis, & à morte perpetua liberemur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

In adv. sequens Antiph. dicitur flexis genibus præterquam in Dominicis à primis Vesperis Sabbati ante Dominicam primam adventus, usq; ad Purificationem inclusivè.

Ant. Alma Redemptoris Mater, quæ pervia cæli porta manes, & Stella maris: succurre cadenti, surgere qui curat, populo; tu, quæ genuisti, naturâ mirante, tuum sanctum Genitorem. Virgo priùs ac posteriùs Gabrielis ab ore, sumens

mens illud Ave, peccatorum miserere.
℣. Angelus Domini nuntiavit, &c.
Oremus.
GRatiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, &c.
℣. Divinum auxilium &c. ℟. Amen.
A primis Vesperis Nativitatis Domini, usque ad purificationem, post Antiph. Alma Redemptoris &c: *dicitur.*
℣. Post partum V. inviolata permansisti.
℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.
Oremus.
DEus, qui salutis æternæ &c. fol. 347.
V. Divinum auxilium &c. ℟. Amen.
AD PRIMAM.
Ave Maria &c.
V. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, &c. Alleluja.
Hymnus.
MEmento rerum conditor,
Nostri quòd olim corporis,
Sacrata ab alvo Virginis
Nascendo formam sumpseris.
MARIA Mater gratiæ,
Dulcis parens clementiæ,

Tu nos ab hoste protege,
Et mortis horâ suscipe.
JESU, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almô Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Ant. b ante adv. Assumpta est, *In adv.* Missus est. *post adv.* O admirabile.

Psalmus 53

DEus in nomine tuo salvum me fac: & in virtute tua judica me.

DEus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me: & fortes quæsierunt animam meam, & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me: & Dominus susceptor est animæ meæ.

Averte mala inimicis meis: & in veritate tua disperde illos.

Voluntariè sacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: & super inimicos meos despexit

xit oculus meus. Gloria Patri, &c.

Psalmus 84.

BEnedixiſti Domine terram tuam: avertiſti captivitatem Jacob.

Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum.

Mitigaſti omnem iram tuam: avertiſti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos Deus ſalutaris noſter: & averte iram tuam à nobis.

Nunquid in æternum iraſceris nobis; aut extendes iram tuam à generatione in generationem.

Deus tu converſus vivificabis nos:& plebs tua lætabitur in te.

Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam: & ſalutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.

Et ſuper ſanctos: & in eos qui convertuntur ad cor.

Veruntamen propè timentes eum ſalutare ipſius: ut inhabitet gloria in terra noſtra.

Miſericordia & veritas obviaverunt

ſibi:

bi; justitia & pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est; & justitia de cælo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructũ suum.

Justitia ante eum ambulabit; & ponet in via gressus suos. Gloria Patri &c.

Psalmus 116.

LAudate Dominum omnes gentes; laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus; & veritas Domini manet in æternum. Gloria Patri &c.

Ant. ante adv. Assumpta est Maria&c *In adv.* Missus est Angelus &c. *post adv.* O admirabile &c. ut suprà.

Ante & post adv. Capitulum Cant. 6.

QUæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens; pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. ℟. Deo gratias.

In advent. Capit. Isaiæ 7.

ECce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel; butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum

num. ℟. Deo gratias.

℣. Dignare me laudare te Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Kyrie eleison Christe eleison Kyrie eleis.

℣. Domine exaudi orationem &c.

Oratio ante Advent.

DEus, qui Virginalem aulam Beatæ Mariæ Virginis, in qua habitares, eligere dignatus es: da quæsumus, ut suâ nos defensione munitos, jucundos facias, suæ interesse commemorationi. Qui vivis & regnas &c.

Orat. in adv. Deus qui de Beatæ Mariæ Virginis utero &c. ut suprà fol. 347

Orat. post Adv Deus, qui salutis &c. ib.

℣. Domine exaudi &c. ut suprà ad Laud.

AD TERTIAM.

Ave Maria &c.

℣. Deus in adjutorium &c.

Hymnus Memento &c. ut suprà ad Prim.

Antiph. ante adv Maria Virgo. *In adv.* Ave Maria. *post adv.* Quando natus es.

Psalmus 119.

AD Dominum cùm tribularer, clamavi: & exaudivit me.

Domine libera animam meam à labiis

biis iniquis, & à lingva dolosa.

Quid detur tibi aut quid apponatur tibi: ad lingvam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. Gloria Patri &c.

Psalmus 120

LEvavi oculos meos in montes: undè veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino: qui fecit cælum & terram.

Non det in commotionem pedem tuum: neq; dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neq; dormiet, qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua: super manum dexteram tuã.

Per diem sol non uret te: neq; luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

Do-

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc, & usque in sæculum. Gloria Patri &c.

Psalmus 121.

LÆtatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri: in atriis tuis Hierusalem.

Hierusalem quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini; testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in judicio: sedes super domum David.

Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem: & abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, & proximos meos: loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei nostri: quæsivi bona tibi. Gloria Patri &c.

Ant. ante adv. Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

In

In adv. Ave Maria gratiâ plena, Domin9 tecum; benedicta tu in mulieribus Allel.
Post adv. Quando natus es, ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt scripturæ; sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum; te laudamus Deus noster.

Ant. & post adv. Capit. Eccles. 24.

ET sic in Sion firmata sum, & in civitate sanctificata similiter requievi, & in Jerusalē potestas mea. ℟. Deo gratias.
℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.
℟. Propterea benedixit &c. Kyrie eleison Christe eleison. Kyrie eleison.
℣. Domine exaudi &c. *Oratio in adv.*

DEus, qui de B. Virginis &c. ut suprà fol. 347. *Oratio ante & post adv.*

DEus, qui salutis &c. ibid.

AD SEXTAM.

Ave Maria &c.

Hymnus Memento rerum &c. ut suprà.
Antiph. ante adv. In odorem. *In adv.* Nè timeas. *post adv.* Rubū quem viderat.

Psalmus 122.

AD te levavi oculos meos: qui habitas in cælis.

Ecce

Ecce ſicut oculi ſervorum, in manibus dominorum ſuorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.

Miſerere noſtri Dñe, miſerere noſtri: quia multum repleti ſumus deſpectione.

Quia multum repleta eſt anima noſtra: opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis. Gloria Patri &c.

Pſalmus 123.

NIſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael: niſi quia Dominus erat in nobis.

Cùm exurgerent homines in nos: fortè vivos deglutiſſent nos.

Cùm iraſceretur furor eorum in nos: forſitan pertranſiſſet anima noſtra: aquam intolerabilem.

Benedictus Dominus: qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.

Laqueus contritus eſt: & nos liberati ſumus.

Adjutorium noſtrum in nomine Dñi; qui

qui fecit cælum & terram. Gloria &c.

Psalmus 24

QUi confidunt in Domino, ſicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat in Jeruſalem.

Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum: ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas.

Benefac Domine bonis:& rectis corde

Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax ſuper Iſrael. Gloria &c.

Ant. ante adv. In odorem &c. f. 338.

In adv. Ne timeas &c. ut ſuprà ibid.

Post adv. Rubum, quem &c. ibid.

Ante & post adv. Capitulum Iſai 6.

ET radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea.

℟. DEo gratias.

In adventu Capit. Luc. 1.

DAbit ei Dominus Deus ſedem David

Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.
℞. Deo gratias.
℣. Benedicta tu in mulieribus.
℞. Et benedictus fructus ventris tui.
Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſ. Kyrie eleiſ.
V. Domine exaudi orationem &c.

Oratio ante Advent

CONcede miſericors Deus, fragilitati noſtræ præſidium, ut qui ſanctæ Dei Genitricis memoriam agimus, interceſſionis ejus auxilio à noſtris iniquitatibus reſurgamus. Per eundem &c.

Oratio in adv. Deus qui de Beatæ Mariæ Virginis utero &c. fol. 347.

Poſt adv. Deus qui ſalutis &c. ibidem.
V. Domine exaudi orationem &c.

AD NONAM.

Ave Maria &c.
℣. Deus in adjutorium &c.
Hymnus. Memento rerum &c. ut ſuprà
Antiph ante adv. Pulchra es. *In adv.* Ecce ancilla. *poſt adv.* Ecce Maria.

Pſalmus 125.

IN convertendò Dominus captivitatem Sion: facti ſumus ſicut conſolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum: & lingva nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

Converte Domine captivitatem nostram: sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lacrymis: in exultatione metent.

Euntes ibant, & flebant: mittentes semina sua.

Venientes autẽ venient cum exultatione: portantes manipulos suos.

Gloria Patri &c. Psal. 126

NIsi Dominus ædificaverit domum: in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem: frustrà vigilat, qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cùm dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini, filii; merces fructus ventris.

Sicut

Sicut sagittæ in manu potentis: ita filii excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta. Gloria &c

Psalmus 127.

BEati omnes, qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans: in lateribus domûs tuæ.

Filij tui sicut novellæ olivarum: in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Hierusalem, omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum: pacem super Israël. Gloria Patri &c.

Antiph. ante adv. Pulchra es, fol. 343.

In adv Ecce Ancilla, &c. ibid.

Post adv. Ecce Maria &c. ibid.

Ante & post Adv. Capit. Eccles. 24.

In plateis sicut cinnamomum & balsa-

mum aromatizans odorem dedi; quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℟. DEo gratias.

℣. Post partum V. inviolata permansisti.
℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

In Adventu Capit. Isaiæ 7.

Ecce Virgo concipiet &c. fol. 355.

Oratio ante Adv.

FAmulorum tuorum, quæsumus Domine, delictis ignosce, ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus; Genitricis Filij tui Domini nostri intercessione salvemur. Per eundem &c.

Orat. in adv. Deus qui de Beatæ Mariæ Virginis utero &c. ut suprà fol. 347

Orat. post Adv. Deus, qui salutis &c. ib.

℣. Domine exaudi &c. ut suprà ad Laud.

AD VESPERAS.

Ave Maria &c.

℣. Deus in adjutorium &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Ant. ante adv. Dum esset Rex.
Ant. in adv. Missus est Gabriel.
Ant post adv. O admirabile.

Psalm. 109.

DIxit Dominus Domino meo: sede à dex-

dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos: ſcabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribusSanctorum: ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech.

Dominus à dextris tuis: confregit in die iræ ſuæ Reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas: conquaſſabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput. Gloria Patri &c.

Ant. ante adv. Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuavitatis.

Ant. in Adv. Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Mariam Virginem deſponſatam Joſeph. *Ant. poſt Adv.* O admirabile commercium! Creator generis

humani, animatum corpus ſumens, de Virgine naſci dignatus eſt, & procedens homo ſinè ſemine, largitus eſt nobis ſuam Deitatem. *Ant. ante Advent.* Læva ejus. *In Adv.* Ave Maria. *Poſt Adv.* Quando natus es.

Pſalmus 112.

LAudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

A ſolis ortu uſque ad occaſum: laudabile eſt nomen Domini.

Excelſus ſuper omnes gentes Dominus: & ſuper cælos gloria ejus.

Quis ſicut Dominus DEus noſter, qui in altis habitat: & humilia reſpicit in cælo & in terra?

Suſcitans à terra inopem: & de ſtercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus: cum principibus populi ſui.

Qui habitare facit ſterilem in domo: Matrem filiorum lætantem.

Ant. ante Adv. Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Ant. in adv. Ave Maria, gratiâ &c. f. 336.
Ant post adv. Quando natus es &c. ibid.
Antiph. ante adv. Nigra sum. *In adv.* Ne timeas Maria. *Post adv.* Rubum.

Psalmus 121.

LÆtatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum &c. *vide* fol. 358.

Ant. ante adv. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem; ideo dilexit me Rex, & introduxit me in cubiculum suum.
In adv. Ne timeas &c. fol. 338.
Post adv. Rubum, quem viderat. *ibi.*
Antiph. ante adv. Jam hyems transiit. *In adv.* Dabit ei Dominus. *Post adv.* Germinavit radix.

Psalmus 126.

NIsi Dominus ædificaverit domum: in vanum &c. fol. 363.

Antiph. ante adv. Jam hyems transiit, imber abiit, & recessit; surge amica mea, & veni. *In adv.* Dabit ei &c. f. 340.
Post adv. Germinavit radix &c. ibid.
Antiph. ante adv. Speciosa facta es. *In adv.* Ecce ancilla. *Post adv.* Ecce Maria.

Psalmus 141.

LAuda Jerusalem Dominum: lauda

DEum tuum Sion.

Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te.

Qui poſuit fines tuos pacem: & adipe frumenti ſatiat te.

Qui emittit eloquium ſuum terræ: velociter currit ſermo ejus.

Qui dat nivem ſicut lanam: nebulam ſicut cinerem ſpargit.

Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas: ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit.

Emittet verbum ſuum & liquefaciet ea: flabit ſpiritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annunciat verbum ſuum Jacob: juſtitias & judicia ſua Iſraël.

Non fecit taliter omni nationi: & judicia ſua non manifeſtavit eis.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Ant. ante Adv. Speciosa facta es, & ſuavis in delicijs tuis, S. Dei Genitrix.

In Adv Ecce ancilla &c. fol. 343.

Poſt Adv. Ecce Maria genuit &c. ibid.

Ante & poſt Adv. Capit Eccl. 24.

AB initio, & ante ſæcula creata ſum, & uſque ad futurum ſæculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo

ipſo miniſtravi. ℟. DEo gratias.

In Adv. Capit. Iſaı. 11.

Egredietur Virgo &c. fol. 344.

Hymnus

AVe Maris ſtella, DEi Mater alma,
Atq; ſemper Virgo, felix cæli porta.
Sumens illud ave, Gabrielis ore,
Funda nos in pace, mutans Evæ nomẽ.
Solve vincla reis, profer lumen cæcis,
Mala noſtra pelle, bona cuncta poſce.
Monſtra te eſſe Matrẽ, ſumat per te preces
Qui pro nobis natus, tulit eſſe tuus.
Virgo ſingularis, inter omnes mitis,
Nos culpis ſolutos, mites fac & caſtos.
Vitam præſta puram, iter para tutum,
Ut videntes JEſum, ſemper collætemur
Sit laus Deo Patri, ſummo Chriſto decus,
Spiritui ſancto, tribus honor unus. A.

℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternũ

Canticum B. M. V. Luc

MAgnificat: anima mea Dominum.
Et exultavit ſpiritus meus: in Deo ſalutari meo.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me di-

cent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens eſt: & ſanctum Nomen ejus.

Et miſericordia ejus à progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potentes de ſede: & exaltavit humiles.

Eſurientes implevit bonis: & divites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſraël puerum ſuum: recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad Patres noſtros: Abraham, & ſemini ejus in ſæcula.

Gloria Patri, & Filio, &c

Antiph. ante Adv. Beata Mater, & intacta Virgo, glorioſa Regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum.

In Adv. Spiritus ſanctus in te deſcendet Maria; ne timeas, habebis in utero Filium Dei, alleluja.

Poſt Adv. Magnum hæreditatis myſterium: templum Dei factus eſt uterus neſciens virum; non eſt pollutus, ex ea carnem aſſumens; omnes gentes veni-

venient dicentes: Gloria tibi Domine.

Tempore Paschali dicitur Antiph. Regina cæli, &c. ut fol. 346.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſ. Kyrie eleiſon

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio ante Advent.

COncedE nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetuâ mentis & corporis ſanitate gaudere; & glorioſâ B. Mariæ ſemper Virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æternâ perfrui lætitiâ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen,

Oratio poſt Adv. Deus qui ſalutis &c. f. 347

Oratio in Adv. Deus qui de B. &c. ibid.

Orationes pro Sanctis adduntur hic etiam ut in Laud. & fin. earum.

℣ Domine exaudi &c. *ut in Laud.*

AD COMPLETORIUM.

Ave Maria, &c.

℣. Converte nos Deus ſalutaris noſter.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.

Gloria Patri, & Filio, &c. Alleluja.

Pſalm.

Psalm. 128

SÆpè expugnaverunt me à juventute mea: dicat nunc Israël.

Sæpè expugnaverunt me à juventute mea: etenim non potuerunt mihi.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: prolongaverunt iniquitatem suam.

Dominus justus concidit cervices peccatorum: confundantur, & convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.

Fiant sicut fænum tectorum: quod priusquam evellatur, exaruit.

De quo non implevit manum suam, qui metit: & sinum suum, qui manipulos colligit.

Et non dixerunt, qui præteribant, benedictio Dei sit super vos: benediximus vobis in Nomine Domini.

Psalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem &c. fol. 134.

Psalmus 130.

DOmine non est exaltatum cor meum neq; elati sunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis: neq; in mira-

mirabilibus super me.

Si non humiliter sentiebam: sed exaltavi animam meam.

Sicut ablactatus est super matre sua; ita retributio in anima mea.

Speret Israël in Domino: ex hoc nunc & usq; in sæculum. Gloria Patri &c.

Hymnus. Memento &c. *ut suprà ad Prim.*

Ante & post Advent. Capit. Eccl 24.

EGo Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & S. spei. ℟. Deo gr.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionib⁹ Ch.

Ant. ante adv. Sub tuum præsidium &c.

In Adventu Capitulum Isaiæ 7.

ECce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel: butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum. ℟. DEo gratias.

℣. Angelus Dom. &c. ℟. Et concepit.

Ant in Adv. Spiritus sanctus.

Ant. post Adv Magnum hæreditatis.

Canticum Simeonis Luc 2.

NUnc dimittis servum tuum Domine: secundùm Verbum tuum in pace.

Quia

Quia viderunt oculi: salutare tuum.
Quod parasti, ante faciem omnium populorum.
Lumen ad revelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Iſràël. Gloria &c.
Ant. ante Adv. Sub tuum præſidium, confugimus ſancta Dei Genitrix; noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus noſtris; ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa, & benedicta.
Tempore Paſchali autem dicitur Regina cæli
In adv. Spiritus ſanctus &c. fol. 371.
Poſt adv. Magnum hæreditatis &c. ib.

Oratio ante Advent

BEatæ & glorioſæ ſemperq; Virginis Mariæ, quæſumus Domine, interceſſio glorioſa nos protegat, & ad vitam æternam perducat. Per Dominum &c.
Orat. in adv. Deus qui de B. &c. fol. 347
Orat. poſt adv Deus, qui ſalutis &c. ibid.
℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor &c.
℣. Benedicamus Domino. ℟ Deo gratias.
Benedicat & cuſtodiat nos Omnipotens & miſericors Dominus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Amen.

Deinde

Deinde dicitur una ex Antiphonis positis post Laudes pro tempore, cum Vers. & Orat. & dicto versu: Divinum auxilium, &c. *dicitur secretò.* Pater noster, Ave Maria, & Credo. Laus Deo, pax vivis, sanitas infirmis, requies defunctis.

℣. Tu autem Domine miserere nobis.

℟. DEo gratias.

℣. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium.

℟. Et beata Ubera, quæ lactaverunt C. D.

℣. Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria. ℟. Amen.

Ut indulgentiam defectuum in orando Officio commissorum, consequaris; dic sequentem Orationem, cui Leo X. id concessit.

Oratio

SAcrosanctæ & individuæ Trinitati, Crucifixi Domini nostri JEsu Christi Humanitati, beatissimæ & gloriosissimæ, sempérque Virginis Mariæ fœcundæ integritati, & omnium Sanctorum universitati, sempiterna laus, honor, virtus, & gloria ab omni creatura, nobisq; remissio omnium peccatorum, per infinita sæcula sæculorum.

OFFI-

OFFICIUM DE CONCEPTIONE IMMACULATA B. V. MARIÆ.

AD MATUTINUM.

℣. Eja labia mea nunc annunciate.
℟. Laudes, & præconia Virginis Beatæ.
℣. Domina in adjutoriū meum intende.
℟. Me de manu hostiū potenter defende.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto:
Sicut erat in principio, &c.

Hymnus.

SAlve mundi Domina, cælorum Regina,
Salve Virgo Virginum, stella matutina,
Salve plena gratiâ, clara lux divina;
Mundi in auxilium, Domina festina.
Ab æterno Dominus te præordinavit
Matrem unigeniti Verbi quo creavit
Terram, pontum, æthera, te pulchram ornavit
Sibi sponsam, in qua Adam non peccavit.
V. Elegit eam Deus & præelegit eam.
℟. Et in tabernaculo suo habitare fecit eam.
V. Domina exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

San-

SAncta Maria Regina cælorum, Mater Domini noſtri JEſu Chriſti, & mundi Domina, quæ nullum derelinquis, & nullum deſpicis; reſpice me Domina clementer oculo pietatis, & impetra mihi apud dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum, ut qui nunc tuā ſanctam Conceptionem devoto affectu recolo, æternæ in futurum beatitudinis bravium capiam, ipſo, quem Virgo peperiſti, donante Domino JEſu Chriſto: qui cum Patre, & ſancto Spiritu vivit & regnat in Trinitate perfecta Deus, in ſæcula ſæculorum. Amen.

℣. Domina exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.
℣. Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. ℟. Amen.

AD PRIMAM.

℣. Domina in adjutorium meum intende
℟. Me de manu hoſtiū potenter defende
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

SAlve Virgo ſapiens, domus Deo grata,
Colūna ſeptēplici, Menſaq; exornata:

Ab omni contagio mundi præſervata,
Antè ſancta,in utero Parẽtis quàm nata.
Tu Mater vivẽtiũ,& porta es Sanctorũ,
Nova ſtella exJacob,Domina Angelorum
Zabulo terribilis, acies Caſtrorum:
Portus,& refugium, ſis Chriſtianorum.
℣. Ipſe creavit eam in Spiritu ſancto.
℟. Et effudit illã ſuper omnia opera ſua.
℣. Domina exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
Oratio ut ſuprà S. Maria Regina &c.

AD TERTIAM.

℣. Domina in adjutorium meum intende
℟. Me de manu hoſtiũ potenter defende.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

SAlve arca fœderis,thronus Salomonis,
Arcus pulcher ætheris,Rub9 viſionis,
Virga frondens Germinis,vell9 Gedeonis
Porta clauſa Numinis,& fav9 Samſonis,
Decebat tam Nobilẽ Natum præcavere,
Te ab originali labe Matris Evæ:
Almã,quam elegerat Genitricem, verè,
Nulli prorſuspatiens,culpæ ſubjacere.
℣. Ego in altiſſimis habito.
℟. Et thronus meus in columna nubis.
℣. Do-

℣. Domina exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
Oratio ut suprà. Sancta Maria, &c.

AD SEXTAM.

℣. Domina in adjutorium meũ intende.
℟. Me de manu hostiũ potenter defende
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

SAlve, ô puerpera, templnm Trinitatis,
Angelorum gaudium, cella puritatis,
Solamen mœrentium, hortus voluptatis
Palma patientiæ, Cedrus castitatis,
Terra es benedicta, & Sacerdotalis,
Sancta, atq; im̃unis culpæ originalis
Civitas Altissimi, porta Orientalis:
In te est omnis gratia Virgo singularis
℣. Sicut lilium inter spinas.
℟. Sic amica mea inter filias Adæ.
℣. Domina exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
Oratio ut suprà Sancta Maria, &c.

AD NONAM.

℣. Domina in adjutorium meũ intende
℟. Me de manu hostium potenter defende. Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

SAlve urbs refugij, turrisq; munita,
Davidpropugnaculis,armisq;insignita
Tu in conceptione, charitate ignita;
Infernalis potestas est à te contrita:
Eja mulier fortis, & invicta Judith,
PulchraAbigailV. verũ fovens David;
Rachel Procuratorem Ægypti gestavit:
Sed Salvatorẽ mundi Maria portavit.
℣. Tota pulchra es amica mea.
℟. Et macula originalis nũquã fuit in te
Domina exaudi orationem &c. ut suprà

AD VESPERAS.

Domina in adjutorium &c.

Hymnus.

SAlve horologium, quo retrò trahatur
Sol in decẽ lineis Verbum incarnatur
Homo ut ab inferis, ad summa tollatur,
Imensus ab Angelis paulò minoratur.
Solis hujus radiis, Maria coruscat,
Et cõsurgens aurora in conceptu micat
Lilium inter spinas, quæ serpentis terat
Caput pulchra ut luna, errãtes collustrat
℣. Ego feci in cælis ut oriatur lumen
indeficiens.
℟. Et quasi nebula texi omnem terram.
Domina exaudi orationem &c. ut suprà

AD

AD COMPLETORIUM.

Convertat nos Domina tuis precibus placatus JEſus Chriſtus Filius tuus.
Et divertat iram ſuam à nobis.
Domina in adjutorium meum &c.

Hymnus.

SAlve Virgo nobilis, Mater illibata,
Regina clementiæ, ſtellis coronata:
Super omnes Angelos, pura, immaculata
Atq; ad Regis dexterã ſtans veſte inaurata:
Per te Mater gratiæ, dulcis ſpes reorum,
Refulgẽs ſtella maris, Portu naufragorũ
Patens cæli janua, ſalus infirmorum,
Videamus Triadẽ, in aula Sanctorum.
℣. Oleum effuſum Maria nomen tuum.
℟. Servi tui dilexerunt te nimis.
Domina exaudi orationem meam &c.

Commendatio

SUpplices offerimus tibi Virgo pia,
Has horas Canonicas, fac nos ut in via
Ducas curſu proſpero, & in agonia,
Præſens nobis aſſiſte, ô dulcis Maria.
Amen. DEo gratias.

Ant Hæc eſt virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.
℣. In Conceptione tua V. imãculata fuiſti

 ℟. Ora

℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.

Oratio.

DEus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparâsti, quæsumus, ut sicut ex morte ejusdem Filii tui prævisâ, eam ab omni labe præservâsti, ità nos quoq; mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eundem &c.

LITANIÆ
DE BEATA MARIA VIRGINE
in æde Lauretana dici solita.

KYrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cælis Deus, Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Miserere.

Spiritus Sancte Deus. Miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, Miserere n.

Sancta Maria, Ora pro nobis.

Sancta DEi Genitrix, ora.

Sancta Virgo Virginum, ora.

Mater Christi, ora.

Mater Divinæ gratiæ, ora.

Mater

Mater puriſſima,
Mater caſtiſſima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentiſſima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum juſtitiæ,
Sedes ſapientiæ,
Cauſa noſtræ lætitiæ,
Vas Spirituale,
Vas honorabile,
Vas inſigne devotionis,
Roſa myſtica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Fœderis arca,
Janua cæli,
Stella matutina,

Ora pro nobis.

Salus Infirmorum,
Refugium Peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum Omnium.

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine. Agnus Dei &c.

Christe audi nos, Christe exaudi nos. Kyrie eleison Christe eleisonKyrie eleis.

Ave Maria &c.

SUb tuum præsidium confugimus, Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis libera nos Virgo semper gloriosa & benedicta. Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, Tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta.

℣. Ora

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix &c.
Oremus.

PIetate tuâ, quæsumus, Domine, nostrorum solve vincula peccatorum, & intercedente B. Mariâ, cum omnibus Sanctis tuis, nos famulos tuos, benefactores, atque loca nostra, in omni sanctitate custodi, omnesq; consangvinitate, affinitate, atque familiaritate nobis conjunctos, à vitiis purga, virtutibus illustra, pacem & salutem nobis tribue, hostes visibiles, & invisibiles remove, carnalia desideria repelle, aërem salubrem, & fertilitatem indulge, amicis & inimicis nostris charitatem largire, atque Urbem hanc cum omnibus in ea habitantibus, ab omni peste, infideliumq; feritate, & potentiâ illæsam conserva, & omnibus fidelibus vivis & defunctis, in terra viventium, vitam & requiem æternam concede, & Pontificem nostrum N. Regem N. Antistitem N. omnes Prælatos, & cunctum populum Christianum, ab omni adversitate custodi, & benedictio tua sit super nos semper; Per Christum Dominum &c.

MODUS DICENDI CORONAM BEATÆ V. MARIÆ.

CORona est sextum spirituale, inventum in honorem 63. annorum, qui à multis Divæ Virgini tribuuntur, ita ut singulis annis respondeant singulæ salutationes Angelicæ, quæ sunt 63. Recitatur autem sic: præmisso: Veni S. Spiritus &c. cum oratione: DEus qui corda &c. Et Salve Regina, vel aliquâ aliâ Antiphona pro tempore, cum propria item oratione, recita.

Ter Pater & Ave, in gratiarum actionem Sanctissimæ Trinitati. 1. Pro beneficio Creationis. 2. Pro beneficio Redemptionis. 3. Pro beneficio vocationis ad fidem. Postea.

In globis majoribus decies Pater noster, &c. & orationem v.g.

O Dulcissime Domine JEsu Christe rogo te per effusionem pretiosissimi sangvinis tui, quem pro me effundere dignatus es, 1. in Circumcisione, libera me à peccato Luxuriæ. Et da mihi virtutem Castitatis. 2. In sangvineo Sudore lib. &c. Acediæ, Et da &c. devotionis,

3. In

3. in Flagellatione libera &c. Gulæ. Et da &c. Temperantiæ. 4. in Coronatione: lib. Superbiæ. Et da.. humilitatis.. 5. in vestium Spoliatione, lib. Avaritiæ, Et da.. Liberalitatis. 6. in Crucifixione, lib. Iræ, Et da.. Patientiæ. 7. in Lateris transfixione lib. Invidiæ. Et da Charitatis. Qui vivis & regnas &c.

In minoribus globis dices Ave Maria, & post decadem Orationem v. g.

O Dulcissima Mater DEi & Virgo, Domina, Patrona & Advocata mea, rogo te per gaudium cordis tui, quod habuisti in. 1. Annunciatione Filij tui Domini nostri &c. Impetra mihi ab eodem Filio tuo remissionem peccatorum meorum, congruum vitæ statum, solidũ progressum in virtutibus & animabus fidelium defunctorum requiem, & nobis vitam æternam. Amen. 2. in Visitatione S. Elisabethæ cum Filio tuo Domino nostro, Impetra mihi ab eodem Filio &c. 3. In Partu virgineo Filij tui Domini nostri, Impetra mihi ab &c. 4. in Adoratione à 3. Regibus Filij tui Dñi nostri, Impetra mihi &c. 5. in Præsenta-

tatio-

tatione in templo Filii tui Domini nostri. Impetra mihi &c. 6. in Inventione Filij tui. Impetra &c. 7. in Assumptione tua in cælos, & coronatione à Filio tuo Domino, Impetra mihi &c.

in ultimo majori globo Credo.

TAndem si Indulgentias Coronæ sive metallo applicatas habeas, dices pro supplendis negligentiis Psalm: Laudate Dominum omnes gentes, &c.

Nota hîc, dum Pater noster in majoribus globis & Ave Maria in decadibus percurritur, imaginatio circa mysteria globulis vel decadibus respondentia occupanda est, ne aliò evagari possit. Quod quidem citra difficultatem, cum magna animi voluptate fieri potest, sicuti otiosi imaginamur nos dissita loca percurrere, absentia intueri, &c.

HYMNUS S. CASIMIRI,
DE BEATISSIMA VIRGINE MARIA.

Pars prima.

OMni die, dic Mariæ,
Mea laudes anima,
Ejus festa, ejus gesta,
Cole devotissima.

Con-

Contemplare, & mirare,
Ejus celsitudinem:
Dic felicem Genitricem,
Dic Beatam Virginem.
Ipsam cole, ut de mole,
Te criminum liberet;
Hanc appella, ne procella,
Vitiorum superet.
Hæc persona, nobis dona,
Contulit Cælestia,
Hæc Regina nos divinâ,
Illustravit gratiâ,
Lingva mea dic trophæa,
Virginis puerperæ;
Quæ inflictum maledictum,
Miro transfert germine.
Sine fine dic Reginæ,
Mundi laudum cantica:
Ejus bona, semper sona,
Semper illa prædica.
Omnes mei, sensus ei,
Personate gloriam:
Frequentate, tam Beatæ
Virginis memoriam.
Nullus certè, tam disertæ,
Extat eloquentiæ,

Qui condignos, promat hymnos,
Ejus excellentiæ.
Omnes laudent, unde gaudent,
Matrem DEi Virginem:
Nullus fingat, quod attingat,
Ejus celsitudinem.
Sed necesse (quod prodesse
Piis constat mentibus)
Ut intendam, quod impendam,
Me ipsius laudibus.
Quamvis sciam, quòd Mariam,
Nemo dignè prædicet;
Tamen vanus, & insanus
Est, qui illam reticet.
Cujus vita, erudita,
Disciplina cælica,
Argumenta, & figmenta,
Destruxit hæretica.
Hujus mores, tanquam flores,
Exornant Ecclesiam:
Actiones & sermones,
Miram præstant gratiam.
Evæ crimen, nobis limen,
Paradisi clauserat:
Hæc dum credit, & obedit,
Cæli claustra reserat.

Propter Evam, homo sævam,
Accepit sententiam:
Per Mariam, habet viam,
Quæ ducit ad patriam.
Hæc amanda, & laudanda,
Cunctis specialiter:
Venerari, prædicari,
Eam decet jugiter.
Ipsa donet, ut quod monet
Natus ejus, faciam:
Ut finitâ, carnis vitâ,
Lætus hunc aspiciam.

Pars secunda.

O Cunctarum fœminarum
Decus, atque gloria,
Quam electam, & evectam,
Scimus super omnia.
Clemens audi, tuæ laudi,
Quos instantes conspicis:
Munda reos, & fac eos,
Donis dignos cœlicis.
Virga Jesse, spes oppressæ
Mentis & refugium:
Decus mundi, lux profundi,
Domini sacrarium.
Vitæ forma, morum norma,

Plenitudo gratiæ:
DEi templum, & exemplum,
Totius justitiæ.
Virgo salve, per quàm valvæ,
Cæli patent miseris:
Quam non flexit, nec allexit,
Fraus serpentis veteris.
Generosa, & formosa,
David Regis filia,
Quam elegit Rex, qui regit,
Et creavit omnia.
Gemma decens, rosa recens,
Castitatis lilium:
Castum chorum ad polorum,
Quæ perducis gaudium.
Actionis, & sermonis,
Facultatem tribue:
Ut tuorum meritorum,
Laudes promam strenuè.
Opto nimis, ut inprimis,
Des mihi memoriam:
Ut decenter, & frequenter,
Tuam cantem gloriam.
Quamvis muta, & polluta,
Mea sciam labia:
Præsumendum, nec silendum
Est,

Est, de tua gloria.
Virgo gaude, omni laude,
Digna & præconio,
Quæ damnatis, libertatis
Facta es occasio.
Semper munda, & fæcunda,
Virgo tu puerpera:
Mater alma, velut palma,
Florens, & fructifera.
Ejus flore, & odore,
Recreari cupimus:
Cujus fructu, nos à luctu,
Liberari credimus.
Pulchra tota, sine nota
Cujuscunque maculæ:
Fac nos mundos, & jucundos,
Te laudare sedulò.
O beata, per quam data
Nova mundi gaudia:
Et aperta, fide certâ,
Regna sunt Cælestia.
Per te mundus, lætabundus
Novo fulget lumine:
Antiquarum tenebrarum
Exutus caligine.
Nunc potentes sunt egentes

Sicut olim dixeras,
Et egeni fiunt pleni,
Ut tu prophetaveras.
Per te morum nunc pravorum,
Relinquuntur devia:
Doctrinarum perversarum,
Pulsa sunt præstigia.
Mundi luxus, atque fluxus,
Docuisti spernere:
DEum quæri, carnem teri,
Vitiis resistere.
Mentis cursum, tende sursum,
Pietatis studio:
Corpus angi motus frangi,
Pro cælesti prœmio.
Tu portâsti, inter casti,
Ventris claustra Dominum
Redemptorem, ad honorem,
Nos reformans pristinum:
Mater facta, sed intacta,
Genuisti Filium:
Regem Regum, atque rerum
Creatorem omnium.
Benedicta, per quam victa
Hostis est versutia:
Destitutis spe salutis

Datur indulgentia.
Benedictus Rex invictus,
Cujus Mater crederis:
Increatus, ex te natus,
Nostri salus generis.

Pars secunda.

REparatrix, Consolatrix
Desperantis animæ,
A pressura, quæ ventura
Malis est, nos redime.
Pro me pete, ut quiete
Sempiternâ perfruar:
Nè tormentis comburentis
Stagni miser obruar.
Quod requiro, quod suspiro,
Mea sana vulnera:
Et da menti, te poscenti,
Gratiarum munera:
Ut sim castus, & modestus,
Dulcis, blandus, sobrius,
Pius, rectus, cumspectus,
Simultatis nescius:
Eruditus, & munitus
Divinis eloquiis,
Timoratus & ornatus
Sacris exercitiis:

Constans, gravis, & suavis,
Benignus, amabilis,
Simplex, purus, & maturus,
Patiens, & humilis,
Corde prudens, ore studens
Veritatem dicere,
Malum nolens, Deum colens
Pio semper opere.
Esto tutrix & adjutrix
Christiani populi,
Pacem præsta, nè molesta
Nos perturbent sæculi.
Salutaris stella maris,
Summis digna laudibus,
Quæ præcellis cunctis stellis,
Atque luminaribus.
Tuâ dulci prece, fulci
Supplices, & refove:
Quidquid gravat vel depravat
Mentes nostras, remove.
Virgo gaude, quòd de fraude
Dæmonum nos liberas,
Dum in vera & sincera
Carne Deum generas,
Illibata, & dotata
Cælesti progenie:

Gravidata, nec fraudata
  Flore pudicitiæ:
Nam quod eras, perseveras:
  Dum intacta generas;
Illum tractans, atque lactans,
  Per quem facta fueras.
Commendare me dignare
  Christo tuo Filio,
Ut non cadam, sed evadam
  De mundi naufragio.
Fac me mitem, pelle litem,
  Compesce lasciviam:
Contra crimen da munimen,
  Et mentis constantiam.
Non me liget, nec fatiget
  Sæculi cupiditas,
Quæ indurat, & obscurat
  Mentes sibi subditas.
Nunquam ira, nunquam dira
  Me vincat elatio,
Quæ multorum sit malorum
  Frequenter occasio.
Ora DEum, ut cor meum
  Suâ servet gratiâ:
Ne antiquus inimicus
  Seminet zizania.

Da levamen & juvamen
Tuum illis jugiter,
Tua festa, sive gesta
Qui colunt alacriter.
O Maria, Virgo pia,
Mater admirabilis!
Per te, DEus Judex meus,
Mihi sit placabilis.
O benigna, verè digna
Multis amatoribus!
In agone, fer coronæ
Præmium victoribus.

O Præclarum vas Spiritûs Sancti, ô gloriosa civitas DEi, ô mulier virtutis, quæ contrivisti caput serpentis, ô sole speciosior, pulchrior Luna, stellis præclarior V. Maria: Te peccatores adimus, rea pectora tundimus, dicentes: Sancta, Sancta, & semper immaculata MARIA, clemens, pia, Domina nostra, nos à subitanea, & mala morte & ab omni tribulatione liberatos, fac consortes cælestis gloriæ. Amen.

HYMNUS

De Septem gaudiis B. Mariæ Virginis.

I. GAUDIUM.

Gau-

GAude Virgo Mater Christi,
Quia JEsum concepisti,
Gabriele nuntio.
Ergo Mater, fac sanemur,
Nam quod Matrem te fatemur,
Nostra salus ratio. Ave Maria.

II. GAUDIUM.

Gaude Mater DEO plena,
Novo gignens sine pœna,
Fœtum puerperio
Eja Virgo peramœna,
Casto natum mens serena,
Stringat desiderio. Ave Maria.

III. GAUDIUM.

Gaude quòd ab Oriente
Magi, stellâ præcedente,
Dona ferunt Filio.
Fac donemur pietate,
Fide, spe, cum charitate,
Pudorisque lilio. Ave Maria.

IV. GAUDIUM.

Gaude quia dulcis nati,
Quem videbas mortem pati,
Fulget Resurrectio.
Fac ab imo vitiorum
Surgat mens & supernorum.

Gustum spiret actio. Ave Maria.

V. Gaudium.

Gaude Cælos ascendente
Nato, vides quem repente,
Ferri motu proprio.
Via vitæ restituta,
Quam post Natum tu secuta,
Fac sequamur seriò. Ave Maria.

VI. Gaudium.

Gaude quia Paracletus
Missus cælo, novos fœtus,
Igne format Entheo.
Igne sacri nos amoris
Fac accendi, ne laboris
Capiamur tædio. Ave Maria.

VII. Gaudium.

Gaude quæ post Christum scandis
Astra Cæli, esque grandis
Filii consortio.
O Fac fructu ventris tui,
Per te nobis detur frui,
In perenni gaudio. Ave Maria.

Oratio.

DEus, qui Beatissimam Virginem Matrem, in conceptu & partu dilecti Filii tui, Virginitate servatâ, duplici gau-

gaudio lætificâsti: quique ejus gaudia, eodem Filio tuo à mortuis surgente, & ad Cælos ascendente multiplicâsti: tribue quæsumus, ut ad illud ineffabile gaudium, quo tecum assumpta gaudet in Cælis, ejus meritis & precibus pervenire mereamur: Per eundem &c.

ORATIONES S. MECHTILDIS.

Quas ipsamet sanctissima Virgo Deipara edocuit S. Mechtildē, promittens ei, qui has quotidie recitaverit, suā in hora mortis assistentiam

I. Ave Maria, &c.

O Domina mea Sancta MARIA, sicut DEus Pater per omnipotentiam suam te potentissimam effecit; ita mihi, quæso, adsis in hora mortis, expellendo omnem contrariam potestatem.

II. Ave Maria, &c.

O Domina mea Sancta MARIA, sicut te Filius DEi tantâ sui cognitione & claritate dignatus est, ut totum cælum illuminares; ita in hora mortis animam meam cognitione fidei sic illustres, & corrobores, ut nullo errore aut ignorantiâ pervertatur.

III. Ave Maria, &c.

O Domina mea Sancta MARIA, ſicut Spiritus ſanctus ſuum amorem tibi plenè infudit; ita tu in hora mortis dulcedinem amoris Divini mihi inſtillas, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur ſuaviſſima.

Sanctiſſima DEI Parens Maria Virgo, per acerbiſſimæ Paſſionis JEſu Chriſti Filii tui, merita, te ſupplex rogo, ut ſi fortè hodie, vel hâc horâ, vel hoc momēto me mori contigerit, mei memineris.

O amantiſſima Mater mea, in manus tuas commendo animam meam, & corpus meum, & finem vitæ meæ.

O Domina dulciſſima, viſceribus miſericordiæ plena, ſancta Maria, ſuccurre mihi miſero peccatori, antequam mors ſubitanea & improviſa ſuperveniat, ne ſubitò, & imparatus de hoc mundo tranſeam. Ora pro me Maria Virgo benedicta, ob unigeniti Filii tui Domini noſtri JEſu Chriſti mortem amariſſimam; ut peccati deteſtatione, diaboli & operum ejus abrenuntiatione, verâ contritione, purâ & humili confeſſione, pœnitentiâ & ſatisfactione,

ne, dignâ sanctissimorum Sacramentorum acceptione, & proximi dilectione, Filio tuo reconciliatus, de hoc mundo transeam. Fac mecum misericordiam tuam, ô beata Virgo Maria Mater Dei! in illa tremenda hora, quando spiritus vitales deficient, & mortua lingva se non poterit movere ad invocandum te, neq; oculi mei lucem capere poterunt, auresque meæ nulli voci patescent.

Memor esto tunc precum, ô Maria! quas nunc fundo ad aures tuæ pietatis & subveni mihi in illa hora ultimæ necessitatis meæ, ut liberer à ministris diaboli, & collocer cum Christi Fidelibus, Filii tui servis & amicis.

O felix Maria! tu Mater DEi, tu Mater rei, tu Mater Judicis, tu Mater exulis, cùm sis Mater utriusque Filii, nè sinas filium reum damnari per Filium DEum: sed Maternâ pietate procura, ut filius reus, reconcilietur Filio, qui est DEus, & per Filium Judicem, filium exulem recipe in patriam. Amen.

ORATIONES VARIÆ AD B. V.

Salutatiuncula Aurea ad B. M. Virginem.

AVe candidum lilium fulgidæ semperq; tranquillæ Trinitatis. Ave rosa fulgida cœlicæ amœnitatis, de qua nasci, & de cujus lacte pasci Rex cælorum voluit; adsis mihi misero peccatori nunc & in hora mortis meæ. Amen.

Cœlicum Ave Maria

Quod ori B. Mecht à Deo inditũ fuit l. 1. c. 18.

AVe ex omnipotentia Patris, Ave ex sapientia Filij, Ave ex dulcissima bonitate Spiritûs sancti, Maria illuminans cælum & terram. Gratia plena, Dominus tecum, unicus Dei Patris, genitusq; virginei cordis tui filius, dulcissimus sponsus & amicus tuus. Benedicta tu in mulieribus, quæ repulisti Evæ maledictionem, & reportasti æternam benedictionem. Et benedictus fructus ventris tui JEsus Christus, Dñus & Creator omnium, omnia benedicens & sanctificans, omnia ditans & vivificans. Amen.

Ave Maria aureum.

AVe MARIA in illa reverentia, quâ DEus Pater per Ave te salutavit, suâq;

suâq; omnipotentiâ ab omni væ culpæ liberavit. Ave Maria in illo amore, quo Filius Dei suâ sapientiâ te illuminavit, clarissimumq; sidus, illuminans cælum & terram effecit. Ave Maria in illa dulcedine Spiritûs sancti, quâ te totam penetravit, adeoq; gratiosam effecit, quòd omnis, qui per te gratiam quærit, eam inveniat. Admoneo te illius operationis, quam tota beatissima Trinitas in te operata est, cùm carnis tuæ substantiam cum natura divina in una persona adunaret, ita quod Deus fieret homo, & homo Deus, ex quo, quantam in illa hora dulcedinem & lætitiam conceperis, nullus homo plenè valet experiri. Ideoq; omnis creatura cum admiratione agnoscit & confitetur te benedictam & superexaltatam super omnes cælicas atq; terrenas creaturas: & benedictum fructum ventris tui JEsum, qui omnia vivificat, sanctificat, & benedicit in sæcula. Amen.

Quinq; gaudia B. Virginis.

AVe Virgo præclarissima in effluxu illo dulcissimo, qui ab æterno è cor-

de SS. Trinitatis ob beatissimam tuam præordinationem in te effluxit.

Ave Virgo sacratissima in effluxu illo dulcissimo, qui è corde SS. Trinitatis ob tuam beatissimam conversationem & vitam in te effluxit.

Ave Virgo nobilissima in effluxu illo dulcissimo, qui è corde SS. Trinitatis, per doctrinam & prædicationem Filij tui in te effluxit.

Ave Virgo amantissima, in effluxu illo dulcissimo, qui è corde SS. Trinitatis, è Filii tui amarissima passione & morte in te effluxit.

Ave Virgo reverendissima in effluxu illo dulcissimo, qui è corde SS. Trinitatis in te effluxit, cum omni gloria, magnificentia, prædulciq; gaudio, quo nunc exultas, & in æternum exultabis, tanquam electa super omnes creaturas in cælo & in terra, antequam terra formaretur & orbis. Amen.

Ad Ecce Ancilla.

LAudo & saluto te Mater beatitudinum, dignissimum Spiritûs sancti sacrarium, & devotâ mentis intentio-

ne admoneo te illius ineffabilis gaudii, quod persensisti, quando in verbo illo, ECCE ANCILLA DOMINI, te totam & omnia circa te agenda cum plena fiducia divinæ voluntati commisisti: orans ut monstres te esse Matrem, mihiq; semper succurras per viscerum misericordiæ affluentiam salutarem. Amen.

Oblatio cordis JEsu ad B. V.

LAudo & saluto te Virgo prædulcissima, in unione illa intima, quâ DEo præ omnibus creaturis es conjunctissima. Et in suppletionem omnium negligentiarum, quas in tuo, pia Mater, servitio commisi, offero tibi nobilissimum cor JEsu Christi, cum omni affectu filialis dilectionis & fidelitatis, quem tibi supremo modo exhibuit in terris, & deinceps sine fine exhibebit in cælis.

Commendatio sui Beatæ Virgini

O Domina mea, S. Maria, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ hodie & quotidie, & in hora exitûs mei animam meam & corpus meum tibi cōmendo, omnem spem & consolationem

me-

meam, omnes angustias & miserias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi committo: ut per tuam sanctissimam intercessionem, & per tua merita omnia mea dirigantur, ac disponantur opera, secundùm tuam, tuiq; Filij voluntatem, & meam necessitatem. Amen.

Oratio ad B. V. pro cordis puritate.

PEr sanctam Virginitatem, & imaculatam Conceptionem tuam purissima Virgo, emunda cor & carnem meam. In nomine Patris & Filij & Spiritûs S. Amē

ALIÆ VII. PIÆ ORATIUNCULÆ AD B. V. *pro felici obitu: in singulos hebdomadæ dies distributæ.*

DIE DOMINICO.

AVe, gaude, salve Domina sanctissima, Virgo Maria, Mater misericordiæ, & Consolatrix omnium ad te devotè confugientium, cæli Regina in cœleste palatium cum ingenti jubilo sanctorum introducta per te sanctissima Virgo Maria, transitus de hoc mundo in extremis meis Catholicâ Fide, pura confessione, Corporis & Sangvinis Jesu Christi devotâ perceptione muniatur.

FERIA II.

PRopter honorem Materni Nominis, & amorem Virginei partûs tui, animam meam de hoc mundo migrantem clementer assume. Defende eam ab immundis spiritibus, eorumq; accusationibus, terroribus, læsionibus, & illusionibus.

FERIA III.

VEni Domina mea cum cælesti militia, in exitu miseræ animæ meæ, para ei iter tutum, cùm ante districtum Judicem Filium tuum ducta fuerit, & quia te piam Matrem misericordiæ tunc invocare non possum, ideo nunc animam meam in illa fide recommendo tibi, in qua DEus Pater Unigenitum Filium suum commendavit, quando eum de te carnem sumere voluit: in qua ipse Filius Dominus JEsus Christus in Cruce pendens, te S. Joanni in Matrem, & illum tibi in Filium commendavit: in qua SS. Trinitas in transitu tuo animam tuam sanctissimam suscepit, teq; ad thronum gloriæ collocavit: ita & tu clementissima Virgo Maria, animam meam non deseras,

quo-

quousq; tuis meritis & precibus gratiam & misericordiam à dilecto Filio tuo Domino nostro JEsu Christo obtineat, & quod minus habent mea merita, suppleat gratia tua & misericordia, quia tu es unica spes & misericordia mea cum Domino JEsu nostro.

FERIA IV.

SUrge ergo pia, surge propitia, intra Sanctuarium exauditionis, expande immaculatas manus tuas ante aureum altare humanæ reconciliationis. Erit per te impetrabile, quod per te rogo, erit excusabile, quod timeo. Nec potest diu sustinere supplicantem, quem tu sæpissimè consolata es dulcis Mater vagientem. Tibi ergo ô Genitrix vitæ, ô Mater salutis, ô templum pietatis & misericordiæ! tibi se commendat peccatrix anima mea morbo vitiorum scissa, ulceribus flagitiorum putrida, ut tuis meritis & precibus digneris eam sanare, tuoq; Filio reconciliare.

FERIA V.

O clementissima, ô piissima, ô dulcissima Virgo Maria! propter ineffabilem

ma-

misericordiam, & Virgineum partum, eripe animam meam in ultima hora egressionis ejus, à corpore, ab omni potestate & invasione dæmonum, nè cum ipsis impiis æternis deputetur incendiis, sed pro judicio tuæ inexhaustæ pietatis, & misericordiæ, restitue eam in paradisum judicunditatis æternæ.

FERIA VI.

ESto mihi ô Virgo Maria, in extremis meis auxiliatrix, adsis mihi ô beatissima Virgo Maria, in illa hora, quando præmortuam lingvam meam modo non potero ad te invocandum; & vere cùm oculos meos levare non potero ad te Virgo Maria, esto tunc memor precum mearũ, quas nunc ad te fundo.

SABBATO.

SUbveni mihi Domina in hora resolutionis meæ, nè Princeps tenebrarum mihi occurrat, nec potestas inferorum adversùm me prævaleat. Nec patiaris ô Virgo Dei Genitrix! animam meam gehennalibus pœnis subjacere, sed eam ab æternæ mortis caligine libera, ipso auxiliante, & misericordite

con

concedente, quem tu concipere, parere, & lactare meruisti, JEsu Christo Filio tuo Domino nostro, qui cum Patre, & Spiritu sancto, vivit, & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oratio S. Bernardi ad Deiparam.

SAlve Mater misericordiæ, Domina mundi, Regina cæli, Virgo Virginum, Sancta Sanctorum, Lumen cæcorũ, justorum Gloria, peccatorum venia, desperatorum reparatio, deficientium fortitudo, salus orbis, speculum totius integritatis salve. Tuæ quæso, ô MARIA! sit pietatis, obtinere reis veniam, medela ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, adjutorium periclitantibus. Per te accessum habeamus ad Filium, ô benedicta Inventrix gratiæ, Genitrix vitæ, Mater salutis: ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas Deo grata, nostræ veniam impetret vanitati. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinẽ peccatorum, & fœcunditas gloriosa fœ-

cun-

cunditatem nobis conferat meritorum. Domina noſtra, Mediatrix noſtra, Advocata noſtra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræſenta. Fac ô benedicta per gratiam, quam inveniſti, per prærogativam, quàm meruiſti, per miſericordiam, quam peperiſti, ut qui te mediante, fieri dignatus eſt particeps infirmitatis, & miſeriæ noſtræ, te quoq; intercedente, participes nos faciat gloriæ, & beatitudinis ſuæ, JEſus Chriſtus Filius tuus, Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia DEus benedictus in ſæcula. Amen.

Oratio Ioannis Lanſpergii.

QUot maris ſunt guttæ, cæli ſtellæ, quot Beatorum Spirituum agmina, quot arborum folia, & terræ gramina; toties ex intimo cordis mei te ſaluto, ô nobiliſſima, electiſſima, pulcherrima, glorioſiſſima, atque digniſſima Mater DEi, cæli Regina præclariſſima, amabiliſſima atque dulciſſima Domina Virgo Maria! ſaluto autem te in unione amoris, & per cor dilecti Filii tui, atq; omnium te amantium, meq; tibi commendo

mendo, atque in proprium filium tibi aſſigno. Oro etiam, ut tu me ſuſcipias & apud DEum facias, ut ſim tuus, tu ſis mea poſt DEum Domina, gaudium meũ, corona, ac Mater mea dulciſſima.

Hymnus Innocentij III. ad B. V. M.

AVe mundi ſpes MARIA,
Ave mitis, ave pia:
Ave charitate plena,
Virgo dulcis & ſerena.
Sancta parens JEſu Chriſti,
Electa ſola fuiſti:
Eſſe Mater ſine viro,
Et lactare more miro.
Angelorum Imperatrix,
Peccatorum Conſolatrix,
Conſolare me lugentem,
In peccatis jam fœtentem,
Precor te Regina cæli,
Corde pio, & fideli,
Me habeto excuſatum,
Apud Chriſtum tuum natum.
Nam peccavi illi ſoli,
O MARIA Virgo noli
Eſſe mihi aliena,
Gratiâ cæleſti plena.

Eſto

Esto custos cordis mei,
  Signa me timore DEi:
  Da peccata me vitare,
  Et quod justum est, amare.
Da spem firmam, fidem rectam,
  Charitatemq; perfectam,
  Da, da Virgo finem bonum,
  Quod est super omne donum.
Eja Rosa sine spina,
  Peccatorum medicina:
  Pro me natum interpella,
  Ut me salvet à procella.
Hujus mundi, tam immundi,
  Cujus fluctus furibundi:
  Omni parte me impingunt,
  Et peccati zona stringunt.
Miserere, miserere,
  Miseratrix nam es verè!
  Miserere Miseratrix,
  Orphanorum Mediatrix!
Ut dum instat hora mortis,
  Adsis mihi Virgo fortis,
  Adsis mihi Virgo custos;
  Et me loces inter justos.

Igniculus amoris erga B. V. Mariam.

MAria gustum sentio, quando tui ...
... mer

mentio. Opinor hoc vocabulum, amoris esse vocabulum.

Lac & mel est hæc vocula: fluunt amoris pocula;

Maria, quinque literis in cor meum dum mitteris.

Per labra nectar diditur, cordíque vox alliditur:

Hinc cordis in cavernula, auditur echo ternula.

Meum cor est triangulum: Maria, quemvis angulum,

Tangit tui dilectio; Ubiq; fit reflexio.

Cordis mei pars extera, sinistra pars & dextera,

Et summa pars, & infima, pars ipsa cordis intima,

Dum te loqvuntur singulæ, & sunt amoris lingvulæ.

Amando te, se dedicant, dicando se, te prædicant.

Maria, si te prædico, Maria, si me dedico

Et si tibi cor præbeo, Maria amare debeo.

Cùm nomen hoc reduplico, Maria amari supplico;

Ut

Ut me tibi despondeas, amare me
respondeas.
Si Virgo mecum vixeris, si cor meum
confixeris,
Amore factus ebrius, dicam Mari-
am crebrius.
Nō frāgar assuetudine, ullave lassitudine
Nam cùm tui fit mentio, Maria,
gustum sentio.

Oratio ad B. Virginem.

MEmorare, ô piissima Virgo Maria, non esse auditum à sæculo, quenquā ad tua currentem præsidia, & tua implorantem auxilia, aut tua petentem suffragia à te derelictum. Ergo tali animatus fiduciâ, ad te Virgo Virginum, Maria, Mater Jesu Christi, confugio, ad te curro, coram te gemens peccator, & tremens assisto: noli, ô Domina mundi, noli æterni Verbi Mater, verba mea despicere, sed audi propitia, & exaudi me miserum ad te in hac lacrymarum valle clamantem. Adsis mihi, obsecro, in omnibus necessitatibus meis, nunc & semper, maximè in hora mortis meæ. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

OFFI-

OFFICIUM PARVUM DE SEPTEM DOLORIBUS B. VIRGINIS MARIÆ,

AD MATUTINUM.

Gladius à Simeone prædictus.

℣. Eja mea labia nunc annunciate

℟. Dolores, compassiones Virginis Beatæ.

℣. Domina in adjutoriũ meum intende,

℟. Domina ad adjuvandum me festina.

Hymnus.

SEptem tuos dolores
Maria dum considero,
Tecum pati labores,
Tecum mori desidero.
Annæ gemit senectus,
Et Simeon affligitur,
Doloris ense pectus
Quando tibi transfigitur.

℣. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit.

℟. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Oratio.

INterveniat pro nobis, quæsumus Domine JEsu Christe, & nunc, & in hora mor-

mortis nostræ, ad tuam clementiam, Beata Virgo Maria, Mater tua, cujus sacratissimam animam in hora passionis tuæ doloris gladius pertransivit. Per te JEsu Christe, Salvator mundi, qui cum Patre & Spiritu sancto vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

AD PRIMAM.

Fuga in Ægyptum.

℣. Domina in adjutorium &c.

℟. Domina ad adjuvandum &c.

Hymnus.

FUgis Maria, prolis
Onusta charo pondere,
Et luminare solis
De nocte vis abscondere,
Ægyptus est asyli
Locus, tuis amoribus;
Juxta fluenta Nili
Liquescis in doloribus.

℣. Tuam ipsius animam &c.

Oratio. Interveniat pro nobis, &c.

AD TERTIAM.

Filij amissio.

℣. Domina in adjutorium &c.

Hy-

Hymnus.

IN Patris esse rebus
Cùm nesciebas Filium,
Visa es tribus diebus
Pallere sicut lilium,
Clamans per angiportus,
Fili! replebas æthera:
Dictura plus, obortus
Dolor premebat cætera.
℣. Tuam ipsius animam, &c.
Oratio. Interveniat pro nobis, &c.

AD SEXTAM.

Occursus Christi bajulantis Crucem.

℣. Domina in adjutorium &c.

Hymnus.

EN fert trabale lignum,
Flagrísque JEsus icitur,
O Mater! Ecce signum,
Cui porrò contradicitur.
Eheu! Crucem ferenti
Corpus pluit cruoribus,
Et cor, tibi Parenti
Submergitur dolóribus.
℣. Tuam ipsius animam &c.
Oratio. Interveniat pro nobis &c.

AD

AD NONAM.

Astat Mater Crucifixo Filio.

℣. Domina in adjutorium &c.

Hymnus.

CAlvaria, est amoris,
Et est doloris vinea:
Sunt prӕla vinitoris
Clavi, & corona spinea.
Dum fixus est JEsus,
Crucísque calcat torculum,
Amor dolore læsus,
Premit Mariæ corculum.

℣. Tuam ipsius animam, &c.

Oratio. Interveniat pro nobis &c.

AD VESPERAS.

De Cruce depositum Filium gremio excipit.

℣. Domina in adjutorium &c.

Hymnus.

MAria, quando petra
Sensu doloris scinditur,
Diésque nocte tetrâ
Luget, tibi cor finditur.
Deposita membra ligno,
Sed membra cassa lumine,

Foves ſinu benigno,
Lavas doloris flumine,
℣. Tuam ipſius animam &c.
Oratio. Interveniat pro nobis, &c.

AD COMPLETORIUM.

Planctus Virginis ad ſepulturam.

℣. Convertat nos Domina, tuis precibus placatus JEſus Chriſtus Filius tuus.
℟. Et avertat iram ſuam à nobis.
℣. Domina in adjutorium, &c.

Hymnus.

CUm Filio ſepulto,
Lapis ſepulchro advolvitur,
Tibi Maria, multo
Dolore vita ſolvitur.
Sedens ad antra tumbæ,
Mœſto ſuſurro murmuris,
Inſtar gemis columbæ,
Et plangis inſtar turturis.
℣. Tuam ipſius animam &c.
Oratio. Interveniat pro nobis &c.

COMMENDATIO.

O Mater! ut dolorum
Per hanc amaritudinem,
Cœleſtium bonorum
Guſtem ſuavitatem;

Tecum pati labores,
Tecum mori desidero;
Septem tuos dolores
Dum plango, dum considero.

PLANCTUS B. V. MARIÆ VIRGINIS

STabat Mater dolorosa,
Juxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius:
Cujus animam gementem,
Contristantem & dolentem
Pertransivit gladius.
O quàm tristis & afflicta
Fuit illa benedicta
Mater unigeniti!
Quæ mœrebat, & dolebat,
Et tremebat cùm videbat,
Nati pœnas inclyti.
Quis est homo, qui non fleret,
Christi Matrem si videret
In tanto supplicio?
Quis non posset contristari,
Piam Matrem contemplari,
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis suæ gentis,
Vidit JEsum in tormentis,
Et flagellis subditum.

Vidit ſuum dulcem Natum,
Morientem, deſolatum,
Dum emiſit ſpiritum.
Eja Mater, fons amoris,
Me ſentire vim doloris
Fac ut tecum lugeam.
Fac ut ardeat cor meum,
In amando Chriſtum DEum,
Ut ſibi complaceam.
Sancta Mater iſtud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo validè.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum divide.
Fac me verè tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero:
Juxta Crucem tecum ſtare,
Te libenter ſociare
In planctu deſidero.
Virgo Virginum præclara,
Mihi jam non ſis amara,
Fac me tecum plangere;
Fac, ut portem Chriſti mortem,
Paſſionis fac conſortem,
Et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari,
Ob amorem Filij.
Inflammatus, & accensus,
Per te Virgo, sim defensus
In die Judicij.
Fac me Cruce custodiri,
Morte Christi præmuniri,
Confoveri gratiâ.
Quando corpus morietur,
Fac, ut animæ donetur
Paradisi gloria. Amen.

℣. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit.
℟. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Oremus.

INterveniat pro nobis, quæsumus Domine JEsu Christe, nunc, & in hora mortis nostræ, apud tuam clementiam B. Virgo Maria, Mater tua, cujus sacratissimam animam in hora Passionis tuæ, doloris gladius pertransivit. Per te JEsu Christe Salvator mundi, qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

PARS OCTAVA.

De Cultu Sanctorum.

UT Sanctos omni officiorum genere studiosè ac reverenter colamus: & DEus, & nostra conditio requirunt. Honorat ipsos DEus tam exquisitè: ut Psalmographus Psal. 138. nimis honorificatos dicat. Quomodo igitur nos non honorabimus, quos tantopere honorat DEus? Imperat id nobis etiam misera hujus vitæ conditio, innumeris obnoxia ærumnis: quibus avertendis cùm sufficientes non simus: potentes, & gratiosos apud DEum Patronos conquiramus, cultuq; diligenti nobis conciliemus, oportet: ut quod possibilitas nostra non obtinet, ipsorum nobis intercessione donetur.

OFFICIUM SANCTI ANGELI CUSTODIS.

AD MATUTINUM.

SAncte Angele Dei, qui custos es mei, ora pro me.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum anuntiabit laudẽ tuam.

DEus in adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

NOvo lucis exordio,
O custos mi dulcissime
Cælicam mentis caliginem,
Tuo splendore discute:
Et me divina monita
Benignus semper edoce.

Antiph Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem præparavi, observa eum & audi vocem ejus.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi DEus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domine.

Oremus.

DEus, qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris, largire supplicibus tuis, & eorum semper protectione defendi, & æterna societate gaudere. Per Dominum nostrum Jesum &c.

AD PRIMAM.

Sancte Angele DEi, &c. *ut suprà.*

Hymnus.

MEas preces & lacrymas,

Fi-

Fidus è cælo nuntius,
Quamvis indignas excipe,
Et summo Patri tradito,
Culpisq; meis debitas,
Supplex pœnas avertito.

Antiph. Data sunt ei incensa multa, ut adoleret ea ante altare aureum, & ascendit fumus aromatum de manu Angeli in conspectu Domini.

℣. In conspectu Angelorum, &c. *ut suprà*

AD TERTIAM.

Sancte Angele DEi, &c. *ut suprà.*

Hymnus.

AFflictum clementissime,
Favore tuo recrea:
Ad virtutis officia,
Semisopitum excita,
Cum sancto mens in opere,
Nutabit promptus adjuva.

Antiph. Reversus est Angelus, qui loquebatur in me, & suscitavit me quasi virum, qui suscitatur de somno suo.

℣. In conspectu Angelorum, &c. *ut suprà*

AD SEXTAM.

Sancte Angele DEi, &c. *ut suprà.*

Hymnus.

Dissol-

DIssolve mentis glaciem,
Frange cordis duritiem,
Peccati oppressum onere
Præsenti manu subleva,
A cæli errantem semita
Ad Cæli viam revoca.

Antiph. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

℣. In conspectu Angelorum &c. *ut suprà*

AD NONAM.

Sancte Angele DEi, &c. *ut suprà.*

Hymnus.

INvicta tua dextera,
Contunde vires Dæmonis,
Carnis retunde fomitem,
Mundiq; fraudes detege,
Ut tuo sub præsidio,
Victor ab hoste redeam.

Antiph. Benedictus DEus meus, qui misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.

℣. In conspectu Angelorum, &c. *ut suprà*

AD VESPERAS.

Sancte Angele DEi, &c. *ut suprà.*

Hymnus.

FLagello pigrum excita,
Et reluctantem increpa,
Vitæ labentis terminum,
In mentem sæpe revoca;
In vitæ brevi spatio
Solertiorem facito.

Antiph. Et nunc Domine, Dominator cælorum, mitte Angelum sanctum tuum ante nos, in timore & tremore magnitudinis brachii tui.

℣. In conspectu Angelorum, *ut suprà.*

AD COMPLETORIUM.

Sancte Angele DEi, &c. *ut suprà*

℣. Converte nos DEus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

DEus in adjutorium, ut suprà.

Hymnus.

IN pugna mortis ultima,
Adsis mihi fortissime
Peracti demum fragili,
Vitâ, Doctor amabilis,
Me protinus æthereis
Infer benigne sedibus.

Antiph. Vivit Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus, & hinc eun-

tem

tem & ibi commorantem & inde revertentem, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari.
℣. In conspectu Angelorum, *ut suprà*

Commendatio.

HAs horas canonicas cum devotione,
Tibi Christe offerimus pia ratione:
Ut Custodis Angeli intercessione
Sis nobis solatium, mortis in agone.

Sancti Angeli custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo DEi judicio. Amen.

S. Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, illumina, rege, guberna.

Oratio ad S. Michaëlem Archangelum.

PRinceps gloriosissime Michàël Archangele, esto memor nostri, hic & ubiq; semper precare pro nobis Filium DEi.
℣. S. Michàël Archangele defende nos in prælio.
℟. Ne pereamus in tremendo Dei judicio

Oremus.

BEati Michàëlis Archangeli tui, quæsumus Domine intercessio glorio-

sa nos semper protegat & ad vitam perducat æternam. Per Christum &c.

BEati Archangeli tui Michaëlis commemoratione lætantes, humiliter te Domine deprecamur, ut quod nostris meritis non valemus, ejus intercessione consequamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OFFICIUM PARVUM DE SANCTO JOSEPHO.

AD MATUTINUM.

JEsu, Maria, Joseph.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.

℣. DEus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, &c. Alleluja. *vel:* Laus tibi Domine, Rex æterne gloriæ.

Hymnus.

JOseph David Filius, clarâ stirpe natus,
JEsu Christi Domini Pater nuncupatus,
Matris Dei Sponsus Cœlitus vocatus,
Utriusque Custos cœlo destinatus.

Antipho. Salve Patriarcharum decus, &c.

& Ecclesiæ sanctæ DEI Oeconomus, cui panem vitæ & frumentum Electorum conservâsti.
℟. Ora pro nobis beatissime Joseph.
℣. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

SAnctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur, ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritûs sancti, DEus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

AD PRIMAM.

JEsus, Maria, Joseph.

℣. DEus in adjutorium, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus

TU, qui Sponsam gravidam dolens, cùm videres:
Cogitabas anxius, an eam retineres:
Sed cælestis monitor, nè ampliùs timeres,
In somnis admonuit, ut potiùs gauderes.
Ant. Salve Patriarcharum, &c. (rec.

V. Ora pro nobis beatissime, &c.
Orat. Sanctissimæ Genitricis tuæ, &c.

AD TERTIAM.

JEsus Maria Joseph.

V. DEus in adjutorium, &c. ut sup.
Gloria Patri. &c.

Hymnus.

BEthlehem es profectus, censum soluturus,
Cum prægnante Virgine, ubi nascitur
Erat mundi Dominus, quique mox facturus,
Ut ipsum infantulum esses amplexurus
Ant. Salve Patriarcharum. &c.
V. Ora pro nobis beatissime, &c.

AD SEXTAM.

JEsus, Maria, Joseph.

V. Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri, &c.

Hymnus.

CUm Herodes impius in pueros sæviret,
Gabrielis monitu, ne amplius dormiret,
Retulisti Sponsæ, sed tecum veniret,
Et accepto Parvulo in Ægyptum iret.
Ant. Salve Patriarcharum, &c.

V. Ora

V. Ora pro nobis beatissime, &c.
Orat. Sanctissimæ Genitricis, &c.

AD NONAM.

JEsus, Maria, Joseph.

V. DEus in adjutorium, &c.
Gloria Patri, &c.

Hymnus.

HOstibus defunctis, inde recessisti,
Et in Galilæam tecum reduxisti
Puerum, & sponsam, sicut didicisti
Cœlitus, in Nazareth humilis vixisti.

Ant. Salve Patriarcharum, &c.
V. Ora pro nobis, &c.

AD VESPERAS

JEsus, Maria, Joseph,

V. DEus in adjutorium, &c.
Gloria Patri, &c.

Hymnus.

QUi JEsum, factum duodecim annorũ
Perdidisti, tuum lumen oculorum;
Sed inventum postea in medio Doctorum,
Custodisti sedulus, Regem Angelorũ.

Ant. Salve Patriarcharum, &c.
V. Ora pro nobis, &c.
Orat. Sanctissimæ Genitricis, &c. *ut sup.*

AD COMPLETORIUM.

JEsus, Maria, Joseph.

V. Converte nos DEus salutaris noster.
R/. Et averte iram tuam â nobis.
V. DEus in adjutorium, &c.
Gloria Patri, &c.

Hymnus

FElix, quem in ulnis JEsus cum Mariâ
Tenuit cubantem; dum in agonia
Spiritum efflares. ut directa via
Tenderes ad Patres, functus vitâ piâ.
Ant. Salve Patriarcharum, &c.
V. Ora pro nobis, &c.

Oremus:

SAnctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur; ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritûs Sancti, DEus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

COMMENDATIO.

HAs horas Canonicas cum attentione
Dixi: Sancte Joseph, tui ratione;
Ut sis memor mei in oratione,
Et vivamus simul in cœli Regione A-

HYMNODIA DE S. JOSEPHO.

SAlve Pater Salvatoris,
Salve Custos Redemptoris,
Joseph ter amabilis.
Salve Sponse Matris DEI,
Salve hospes JEsu mei,
Joseph ter mirabilis!

2. Dulces cunæ, dulces panni,
Dulces dies dulces anni;
Dum nutristi Dominum,
O quàm fuit admiranda
Tua vita, veneranda,
Habens DEI Filium.

3. JEsum oculis vidisti,
Et in brachijs tulisti,
O suavis felicitas!
Genis genas admovisti,
Oscula dans accepisti,
O felix suavitas!

4. Modò DEum appellâsti,
Modo Regem nominasti,
Inter mille gaudia:
Modò Patrem adorandum,
Modò Natum adamandum,
Inter mille basia.

5. JEsum brachijs tenere,

Atque totum possidere,
O quantæ divitiæ!
Cum Maria conversari,
DEI Natum amplexari!
O quantæ delitiæ!
6. Quis est homo, qui amare,
Atque JEsulum portare
Nollet suis brachijs?
Nullus est, qui non ambiret,
Et qui cunas non adiret,
Pro tantis delicijs.
7. O mi Joseph plus amande!
Et præ cunctis honorande,
O flos pudicitiæ!
Tibi tanta sors, est data,
Quanta nulli est collata,
Ab Auctore gratiæ.
8. O felicem & beatum,
Custodiri, cui est datum
Tuo sub præsidio;
Et qui meruit habere
Te Patronum, & gaudere
Tuo Patrocinio!
9. Per Mariæ tuæ Matris
Preces, & Josephi Patris,
Jesu tu nos adjuva;

Ut possimus te videre,
Et æternum possidere
In cœlesti Patria. Amen.

V. Valde honorandus & amandus est B. Josephus.

R. Inter cujus brachia Dominus recubuit.

Oremus.

OMnipotens sempiterne DEus qui B. Josephum, Justum filium David, beatissimæ Virgini Mariæ Sponsum providisti, & Filio tuo JEsu Christo Nutritium elegisti; da quæsumus, ut ejus precibus, & meritis, tranquillâ pace lætemur, & ad perpetuæ visionis tuæ consolationem perducamur. Per eundem Dominum nostrũ JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

OFFICIUM S. PATRIARCHÆ JOACHIM.

AD MATUTINUM.

LAudemus Virum gloriosum in generatione sua: quia benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus.

Eccl. ex Eccli. c. 44.

℣. DEus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

SAlve magnorum nepos atavorum,
Regibus major gloria Sanctorum,
Joachim Sancte, decus domûs David,
Quem miro DEus honore ornavit.
Adsis Clientum tibi devotorum
Votis, ac nexus solve peccatorum:
Sacros Nomini tuo glorioso
Dignare vultu semper gratioso.

Ant. Iste est, qui ante DEum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum: Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.
℣. Ora pro nobis S. Joachim.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

DEus, qui præ omnibus Sanctis tuis, Beatum Joachim Genitricis Filii tui Patrem esse voluisti, concede quæsumus: ut cujus gloriosa merita veneramur, ejus quoque perpetuò patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum &c.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
Fidelium animæ, præsertim S. Patriarchæ Joachim devotæ, per misericordiam DEI requiescant in pace. Am.

AD PRIMAM.

℣. DEus in adjutoriũ meum intende &c.
Gloria patri, & Filio, & Spir. S. &c.

Hymnus.

SOrte quàm faustâ DEus te beavit,
Annam dum sanctam tibi sociavit,
Joachim Sancte, geminam Matronarum,
Cum opulenta dote gratiarum!
O Domum sanctam, Conjuges beatos,
Orbis saluti & honori natos!
Me vestris, quæso, Servis adscribite,
Moribusque condignis instruite.

Ant. Iste in generationibus gentis suæ gloriam adeptus est, & in diebus suis habetur in laudibus, semen ejus & gloria ejus non derelinquetur.
℣. Ora pro nobis, &c.
℟. Ut digni, &c.

Oratio

DEus, qui præ omnibus Sanctis, &c.
℣. Domine exaudi orationem, &c.

Fidelium animæ, præsertim S. Patriarchæ Joachim devotæ, &c.

AD TERTIAM,

℣. Deus in adjutoriũ meum intende, &c.
Gloria Patri, & Filio, & Spir. S. &c.

Hymnus.

Quanta voluptas, dignitasq; quanta,
Tibi accessit, dum Filia tanta
Joachim Sancte, tibi est donata,
Cui par nulla terris unquam data?
Vos magna cœli terræque lumina,
Generis nostri grandia Numina!
Salutis pignus non dubium habet,
Joachim cui cum Filia favet.

Ant. Justus germinabit sicut lilium; & florebit in æternum ante Dominum; plantatus in domo Domini, in atrijs domûs DEI nostri.

℣. Ora pro nobis, ℟. Ut digni, &c.

Oratio.

Deus, qui præ omnibus Sanctis, &c.
℣. Domine exaudi orationem, &c.
Fidelium animæ, præsertim, &c.

AD SEXTAM.

℣. DEus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri, & Filio, & Spir. S. &c.

Hy-

Hymnus.

AMore quanto in DEum flagrâsti,
Trimulam quando Filiam sacrâsti;
Joachim Sancte, cultu Divino,
Sacrificio verè matutino!
Fac & nos uni ut DEO vivamus,
Illi cor totum prompti offeramus:
Ejus amore jugiter fervescat,
In ipso totum perpetim quiescat.

Ant. O par beatum, Joachim & Anna; vobis omnis creatura obstricta est. Per vos enim donum donorum omnium præstantissimum Creatori obtulit, castam DEI Matrem. *S. Damasc.*

V. Ora pro nobis, &c.
R. Ut digni, &c.

Oratio.

DEus, qui præ omnibus Sanctis, &c.
V. Domine exaudi orationē meam, &c.
Fidelium animæ, præsertim, &c.

AD NONAM

V. DEus in adjutoriū meum intende, &c.
Gloria Patri, & Filio, & Spir. S. &c.

Hymnus.

ET illa grandis est prærogativa;
MARIÆ Sponsus, & Imago viva,

Joachim Sancte, quòd tibi fit datus
Socero Gener Josephus Beatus.
Omnes hic sponsæ possidet amores,
Habet à JEsu maximos honores:
Cum ipso Natam ac JEsum accede,
Atque pro nobis pius intercede.

Ant. Dilectus DEO & hominibus, cujus memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria Sanctorum, & magnificavit eum.

V. Ora pro nobis, &c. ℟. Ut digni, &c.

Orat. DEus, qui præ omnibus Sanctis &c

V. Domine exaudi orationẽ meam, &c.
Fidelium animæ, præsertim, &c.

AD VESPERAS.

V. DEus in adjutoriũ meum intende &c.
Gloria Patri, & Filio, & Spir. S. &c.

Hymnus

GLoriæ culmen felix attigisti,
Nepote DEO quando meruisti,
Joachim Sancte, Avus gloriari;
Sublimiùs quis potest exaltari?
O magne Pater Nepotis maximi!
O dulcis Nepos Avi suavissimi!
Honori vestro colla mancipamus,
Amori vestro corda consecramus.

Ant. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. Gloria & divitiæ in domo ejus, & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

V. Ora pro nobis, &c. R. Ut digni, &c.

Oratio.

DEus, qui præ omnibus Sanctis, &c.

V. Domine exaudi orationem meam, &c

Fidelium animæ, præsertim, &c

AD COMPLETORIUM.

V. Converte nos DEus salutaris noster.

R. Et averte iram tuam à nobis.

V. DEus in adjutoriũ meũ intende, &c.

Gloria Patri, & Filio & Spir. S. &c.

Hymnus.

AVum te dulcem, Avum venerandum
DEus elegit: Patrem peramandum
Joac .im Sancte, MARIA te colit;
Quis tibi tanto famulari nolit?
Serviam tibi magne DEI Ave:
In vita & morte Clienti fave.
In omni actu, loco, atque via.
Sit mecum Joachim, JESUS, MARIA

Ant. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum; & ad portas Paradisi coronavit eum.

V. Ora pro nobis, &c.
℟. Ut digni, &c.

Oratio.

DEus, qui præ omnibus Sanctis, &c.
V. Domine exaudi orationem meã, &c.
Fidelium animæ, præsertim, &c.

COMMENDATIO.

SUpplices tibi sternimur Beate,
In DEI domo nimis exaltate:
Supplex pro nobis manus DEo tende,
Ac te constantem Patronum ostende.
Adsis Clientum tibi devotorum
Votis, ac sedibus nos Beatorum
Post vitam sanctam infer gratiosus;
Et regna orbe toto gloriosus.

Hymnus antiquus ad S. JOACHIM.

O Pater summæ, Joachim, Puellæ,
Quæ DEum clauso genuit pudore;
Promove nostras Domino querelas
Castáque vota.
Scis, quot hic sævis agitemur undis,
Triste quos mundi mare defatigat:
Scis, quot, adnectit Satanas caróve
Prælia nobis.
Jam sacris junctus Superûm catervis;
Imò præcedens, potes omne, si vis:

Nil

Nil Nepos JESUS meritò negabit,
Nil tibi Nata.
Fac tuo nobis veniam precatu
Donet, & pacem, Deitas beata:
Ut ſimul juncti reſonemus illi
Dulciter hymnos.

Deſcripſit hunc Hymnum ex antiquo Breviario Polius: ut habetur in Actu Sanctorum, 20 Martij.

OFFICIUM PARVUM
De S. IGNATIO Fundatore S. J.
& S. XAVERIO Indiarũ Apoſtolo,
AD MATUTINUM

Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua. *Eccli.* 44. 1.
V. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuã.
V. DEus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

O Ignati militantis
Clara fax Eccleſiæ!
O Xaveri deviantis
Sidus Lux Indiæ!

Vos

Vos honorent, quosquos ambit
Phœbus orbis climata,
Quâque pontum serò lambit,
Quâque tollit lumina.

Ant. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia. *Eccl.* 44.

℣. In omnem terram exivit sonus eorū.
℟. Et in fines orbis terræ verba eorum.

Oremus.

DEus, qui glorificantes te glorificas, & in Sanctorum tuorum honoribus honoraris: concede propitius; ut qui, beatorum Ignatij & Xaverij Confessorum tuorum gloriosa merita colimus, eorum pia apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum, &c.
Domine exaudi, &c. Benedicamus, &c.
Et fidelium animæ, &c.

AD PRIMAM.

Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. *Eccl.* 44. 10.
℣. DEus in adjutorium, &c.

Hymnus

VEra virtus cùm ruebat
Pressa pravo dogmate,

Hanc

Hanc Lojola fulciebat
Nixus uno Numine,
Sic Xaveri te docente
Credit orbis Indicus:
Inde natum cum Parente
Tollit, æther laudibus.

Ant. Sit memoria illorum in benedictione, & ossa eorum pullulent de loco suo, & nomen eorum permaneat in æternum. *Eccl.* 44.

℣. In omnem terram, &c. *cum orat ut sup.*

AD TERTIAM.

Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. *Eccli.* 44. 1.

℣. DEus in adjutorium, &c.

Hymnus.

VOs cubile Solis orti,
Et cadentis respicit:
Vestra duræ cura sorti
Quod clientes eripit!
Nos fovete, nos tenete,
Ne cadamus noxii,
Tramitemque nos docete,
Quem premamus integri.

Ant. Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi Luna plena in diebus suis

suis lucet, & quasi Sol refulgens; sic illi refulserunt in templo DEI. *Eccli.* 50. 6.
V. In omnem terram, &c. *cum orat. ut sup.*

AD SEXTAM.

Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. *Eccli.* 44. 1.
V. DEus in adjutorium, &c.

Hymnus.

SOl nitente cum sorore
Jungat etsi lumina,
Aureoque clarus ore
Vibret axe spicula;
Cedit illi, quo cedetis
Inclyti, subsellio,
Regiæque, quam tenetis,
Axis in palatio.

Ant. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Dan.* 12. 3.
V. In omnem terram &c. *cum or. ut sup.*

AD NONAM.

Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua *Eccl.* 44. 1.
V. DEus in adjutorium, &c.

Hymnus.

Nul-

NUlla duræ tela fortis,
Nulla fati vulnera,
Ipsa nec pericla mortis,
Nulla mundi munera,
Vos amore separarunt
Proximi vel Numinis,
Vos beatis avocarunt
Cœlitum commercijs:

Ant. In paucis vexati, in multis benè disponentur: quoniam DEus tentavit eos, & invenit illos dignos se. *Sap.* 3. 5.
V. In omnem terram, &c. *cum orat. ut sup.*

AD VESPERAS.

Laudemus viros gloriosos, & Parentes nostros in generatione sua. *Eccl.* 44. 1.
V. DEus in adjutorium, &c.

Hymnus.

QUot nefandis explicâstis
Criminum complexibus!
Quod beatis alligâstis
Sanctis nexibus!
Trado vobis me regendum,
Ad salutem ducite
Corpus & Cor do tuendum,
Oro me defendite.

Antiph. Illi viri misericordiæ sunt

quorum pietates non defuerunt eum seminis eorum permanent bona *Eccl.* 44. 10
℣. In omnem terram, &c. *Cum orat ut sup.*

AD COMPLETORIUM.

Laudemus viros gloriosos, & Parentes nostros in generatione sua. *Eccl* 41.
℣. Converte nos DEus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. DEus in adjutorium meum, &c.

Hymnus.

Vos Polique vos Solique
Bina Luminaria,
Infimique, maximique
Sicut exemplaria
Intuentur obstupentes,
Lumen, oro spargite;
Ne premantur fortè mentes
Criminum caligine.

Ant Corpora eorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem, &generationem. *Eccl* 44. 15.
℣. In omnem terram, &c. *Cum orat ut sup.*

Oblatio.

O Patroni vos amore,
Vos honore prosequar;
Corde laudo vos, & ore,

Vo-

Voce, mente comprecor,
Vos faventi verba vultu
Comprecantem cernite,
Próque vestro vota cultu
Ne Clientum spernite.
Vestra, nobis impetrate,
Nôsse nos vestigia:
Vestra (Numen invocate)
Nos videre lumina.
O nitenti quando Sole
Illa Lux se proferet,
Corporisque quando mole
Illa sors nos eximet!

OFFICIUM PARVUM S. CASIMIRI PRINCIPIS & Patroni Regni Poloniæ.

AD MATUTINUM

Benedicite Dominum omnes electi ejus; agite dies lætitiæ, & confitemini illi. Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

AVe stirps regum, gemma nitens morum
Hortule Christi plene liliarum,
Flos & lux nostra, prodigijs mire,
Tuere tuos dive Casimire,

Uni

Uni, trinoque DEO sit gloria;
In Casimiri dulci memoria.

Ant. Quasi flos rosarum in dieb9 vernis & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ.
V. Justus germinabit sicut lilium.
R. Et florebit in æternum ante Dominũ.

Oremus.

DEus qui inter regales delicias, & mũdi illecebras Sanctum Casimirum tuum virtute constantiæ roborasti, quæsumus, ut ejus intercessione fideles tui terrena despiceant, & ad cœlestia semper aspirent: Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, &c.

AD PRIMAM.

V. Benedicite Dominum omnes electi ejꝰ
R. Agite dies lætitiæ & confitemini illi.
Gloria Patri, & Filio,

Hymnus.

PIus æternæ cultor DEitatis,
A luce prima teneræ ætatis,
Tu magne Matri supplex omni die,
Fac & me laudes cantare Mariæ.
Uni, trinoque DEo sit gloria,
In Casimiri dulci memoria.

Antiphona, Versus, Oratio, ut suprà.

AD TERTIAM.

V. Benedicite Dominum, &c.
℟. Agite dies lætitiæ, &c. Gloria &c.

Hymnus.

AUlæ procellas, & flammas juventæ
Intaminata premens fortis mente,
Crucis amator, & cultor decori
Priusquam labi; fac me totum mori.
Uni, trinoque DEo sit gloria,
In Casimiri dulcis memoria.

Antiphona, Versus, Oratio ut suprà.

AD SEXTAM.

V. Benedicite Dominum, &c.
℟. Agite dies lætitiæ, &c. Gloria, &c.

Hymnus.

PRonus cum summum Numen precabaris
Totâ in DEum mente ferebaris,
Immemor cibi, satur pietate;
Fac & nos pasci illâ suavitate.
Uni, trinoque DEo sit gloria,
In Casimiri dulcis memoria.

Antiphona, Versus, Oratio, ut suprà.

AD NONAM.

V. Benedicite Dominum, &c.
℟. Agite dies lætitiæ, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

ROsea cernens signa charitatis,
Vulnera Christi, fontem sanctitatis
Ibas in Christi crucifixi plagas:
Tecum duc nostras dive mentes vagas
Uni, trinoque DEo sit gloria,
In Casimiri dulci memoria.

Antiphona, Versus, Oratio. ut supra

AD VESPERAS.

V. Benedicite Dominum, &c.
℟. Agite dies lætitiæ, &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

Hymnus.

SChismatis osor, fautor unitatis;
Honorum spretor, victor voluptatis
Pauperum Pater, tutor viduarum:
Fac frui Precum nos fructu tuarum,
Uni, trinoque DEO sit gloria,
In Casimiri dulci memoria.

Antiphona Versus. Oratio, ut supra.

AD COMPLETORIUM.

V. Benedicite Dominum omnes, &c.
℟. Agite dies lætitiæ. &c.
Gloria Patri, &c.

Hymnus.

VEre in ipso floridæ ætatis,

Mo-

Moreris tutans gemmam castitatis.
Æternum vivens bea tuas gentes.
Pace, salute, nos tuos Clientes.
Uni, trinóque DEO sit gloria,
In Casimiri dulci memoria.

Antiphona Versus, Oratio, ut suprà.

COMMENDATIO.

GLoria tibi beata Trinitas,
Vera Sanctorum JEsu fœlicitas;
Precatu Divi da nobis veniam,
Æternam tibi ut demus gloriam. Amen.

OFFICIUM B. STANISLAI KOSTKA, S. I.

AD MATUTINUM.

℣. JESU, in preces nostras benignus intende.
℟. Nósque semper ab omni peccato defende.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

SAlve ô Kostka sidus Polonorum!
Parentum victor, contemptor honorum.
Qui è paternis sedibus migrâsti,
Et spreto mundo, DEO te dicâsti.

Ut sub vexillo JESU militares,
Per quod æternùm victor triumphares.
℣. Fuge dilecte mi.
℞. Et assimilare capreæ hinnulóque Cervorum. *Cant.* 8.
℣. Ora pro nobis Beatissime Kostka.
℞. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Dilectissime DEUS, fons bonorum omnium, & inexhaustum mare gratiarum, ad quem Beatissimus Stanislaus Kostka spretis carnis illecebris, Parentum nimis, mundiq́, honoribus & commodis, per ignotas orbis partes oberrans tanquam cervus sitibundus, ad te verum vitæ æternæ fontem properabat, imprime sitim hanc nostris pectoribus, & præsta ut te incessanter quæramus, & te invento æternùm fruamur. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs S. DEus, per omnia secula sæculorum, Amen.

AD PRIMAM.

℣. JEsu in preces, &c. *ut suprà.*

Hymnus.

SAlve beata Sedes gratiarum,
Salve sacrarum pabulum summarum;
Quibus accensum pectus æstuabat,
Cùm orans de te JEsu cogitabat.
Frustra cœlestes pellis unda faces,
DEo repleti pectoris edaces,
Magis accrescit vis incendiorum,
Nescia vinci mole fluentorum.

℣. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. *Cant.* 8.

℣. Nec flumina obruent illam.

℟. Ora pro nobis &c.

Oremus.

DEus ignis consumens, qui ut flammis tui amoris, mundi peccata exureres & frigida corda accenderes de cœlo ignem missurus venisti, eoq; B. Stanislai animam usq; adeò inflammabas, ut pectus illius virgineum, ardens purissimo tui amore, linteis aquâ frigidâ imbutis refrigerari debuerit: nostra quoque corda ejus suffragantibus meritis, ita tua charitate succende, ut exustis omnium peccatorum sordibus nihil nisi tuum amorem spirantes, casto tibi corpore serviamus,

 & mun-

& mundo corde placeamus. Qui vivis, & regnas, &c.

AD TERTIAM,

℣. JEsu in preces, &c.

Hymnus.

SAlve sacrorum conviva cibroum,
Quos tulit ipsa manus Angelorum,
Regias dapes longè superâsti,
Dum æger cibum cœlitus gustâssi,
Patrona tibi adstante,
Venturum cœli Sponsum nunciante;
Incolas terræ fac nos sic cibari,
Ac dulcis JESU gustu satiari.

℣. Panem cæli dedit eis.

℟. Panem Angelorum manducavit homo. *Psalmo* 77.

℣. Ora pro nobis, &c.

Oremus.

DEus, qui per Angelicas manus B. Stanislaum Kostkam, sacro tui Filij corpore satiâsti, concede propitiùs, ut à te in librum vitæ inscripti, eodem Filio tuo pleni, quàm maximis meritis in Cœlo revelata facie fruamur. Per eundem &c.

AD SEXTAM.

℣. JESU in preces, &c.

Hymnus.

SAlvete manus puræ & beatæ
Infantis JESU, membris consecratæ.
Quæ pignus Patris æterni tulistis,
Amores cœli omnes conclusistis.
De tuóque sinu est Virgo sacrata,
In manus Kostcæ gemma cœli data;
O quantum dives Kostka evasisti,
Pretium mundi quando accepisti.
℣. Ego dilecto meo:
℟. Et dilectus meus mihi. *Cant.* 6.
℣. Ora pro nobis, &c.

Oremus.

DUlcissime & svavissime JESU, qui è sinu Sanctissimæ Matris, in sinum Beatissimi Stanislai lectulo affixi descendisti, & vera vitæ salus eo repentè sanato, mentem ejus mirâ svavitate replesti, respice infirmitatem nostram, & Beatissimi Stanislai meritis, nos in afflictionibus & doloribus ac periculis omnibus visitare, solari & adjuvare digneris. Qui vivis & regnas &c.

AD NONAM.

℣. JESU in preces, &c.

Hymnus.

SAlve ô miles Christi gloriose!
Dæmonis contra vires animose,
Quem signo crucis à lecto fugâsti,
Febrium æstu quando laborâsti;
Angelus custos arma suggerebat;
Et contra hostes ad bella ducebat,
Cujus tutela sacra fruebâre,
Colloquiísque crebris dignabâre.

℣. Angelis suis DEus mandavit de te,
℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis. *Psal.* 19.
℣. Ora pro nobis &c.

Oremus.

DEus, qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris, largire supplicibus tuis, & eorum semper protectione defendi, & æterna societate gaudere. Per Dominum nostrum &c.

AD VESPERAS.

℣. JESU in preces, *ut suprà.*

Hymnus.

SAlve ô caste candor puritatis,
Intemeratæ flos Virginitatis,
Tuum dum corpus purus conservatur,
Tuúsque cœli luce illustratur.

Lumina ista monstrant radiorum
Non cinctam mentem nube peccator.
Decuit corpus ita illustrari,
Nescium noxâ mortali gravari.
℣. Quasi flos rosarum in diebus vernis.
℟. Et quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ. *Eccl.* 5.
℣. Ora pro nobis &c.

Oremus.

Jesu Virgineæ castitatis amator, & auctor, qui Beatum Stanislaum Kostkam immaculatum in hoc sæculo custodisti, concede propitius, ut, qui ejus memoriam propter te, qui inter spiritualia lilia libenter pasceris, recolimus, ejus precibus ac meritis, intactam à mundi illecebris animam, ac corpus, pro tuo domicilio semper servem⁹. Qui vivis &c.

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. JESU in preces, &c.

Hymnus.

Miraculorum fulgens claritate,
Fove Clientes o Kostka beate!
Ægrorum salus, vita mortuorum.

Cæ-

Cujus imago tactu flosculorum,
Depellit omnes membrorum langvores,
Morbos lethales, febrium ardores.
Fove Clientes, qui te venerantur,
Et DEum per te quærunt ac precantur.
℣. Mirabilis DEus in Sanctis suis.
℟. DEus Israël ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ. *Psal.* 67.
℣. Ora pro nobis &c.

Oremus.

DEUS, qui Beatissimum Stanislaum Kostkam Regni hujus Patronum vitæ sanctitate, & miraculorum gloria ubiq; fecisti illustrem, da, ut ejus exemplo semper in pietate crescamus, & ab hostibus mentis & corporis ejus protegamur auxiliis. Per Dominū nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. A.

OFFICIUM PARVUM
S. ANNÆ, MATRIS B. V. M.
AD MATUTINUM.

JESUS, MARIA, ANNA.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuã.
℣. DEus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

O Gloriosa Domina,
De cujus Virgo genere,
Cœli regentem culmina,
Lactavit sacro ubere.
Quod Eva tristis abstulit,
Redditur partu Filiæ,
Quæ dum salutem protulit,
Cœli fenestra facta est.
Tu Regis alti gratiam
Deposce, atque veniam,
Memoriam colentibus
Tuæ perennis gloriæ.
Gloria tibi Domine,
Ex Annæ natæ germine,
Cum Patre, & sancto Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Ant. Cœleste beneficium introivit in Annam, ex qua nobis nata est B. V. Maria.
℣. Ora pro nobis S. Anna.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio

Oratio.

DEus, qui B. Annæ tantam gratiam conferre dignatus est, ut Genitricis unigeniti Filii tui Mater effici mereretur, concede propitiùs, ut cujus memoriam veneramur in terris, ejus apud te patrocinijs adjuvemur in cœlis. Per eumdem Dominum &c.

AD PRIMAM.

JESUS, MARIA, ANNA.

℣. DEus in adjutoriū, &c. *ut sup.* in Mat.

Hymnus.

CLara diei gaudia,
Modulizat Ecclesia,
In Anna Christi famula,
Pandens cœli miracula.
Gloria tibi Domine, &c.

Ant. Cœleste beneficium, &c.
℣. Ora pro nobis &c.
Orat. DEus, qui B. Annæ, &c.

AD TERTIAM.

JESUS, MARIA, ANNA.

℣. DEus in adjutorium, &c.

Hymnus.

ALma Regum progenies,
Et Sacerdotum sobeles,

Stirpem illustrem Patribus,
Suis ornavit actibus.
Gloria tibi Domine, &c.
Ant. Cœleste beneficium &c.
℣. Ora pro nobis &c.
Orat. DEus, qui B. Annæ &c.

AD SEXTAM.

JESUS, MARIA, ANNA.
℣. DEus in adjutorium &c.

Hymnus.

NUpta DEI judicio,
Fideli matrimonio,
Juxta verbum Angelicum,
Fructum concepit cœlicum;
Gloria tibi Domine &c.
℣. Ora pro nobis &c.
Orat. DEus, qui B. Annæ, &c.

AD NONAM.

JESUS, MARIA, ANNA.
V. DEus in adjutorium, &c.

Hymnus.

INfœcunda pro tempore,
Propè marcescens corpore,
Decreto Patris luminum,
Parit Reginam Virginum,
Gloria tibi Domine, &c.

Ant. Cœleſte beneficium, &c.

℣. Ora pro nobis, &c.

Orat. DEus, qui B. Annæ, &c.

AD VESPERAS.

JESUS, MARIA, ANNA.

℣. DEus in adjutorium, &c.

Hymnus.

ANna pia Mater ave,
Cujus nomen eſt ſuave,
Anna ſonat gratiam.
Ave Jeſſe radix florens,
Quæ cœleſtes das odores,
Perennem fragrantiam.
Ave Parens ſtellæ maris,
Quam tu nuptam contemplaris,
Regis Regum Filio.
Tu, quæ ſola meruiſti,
Parens eſſe Matris Chriſti,
Preces noſtras ſuſcipe.
Tu nos Matris Chriſti,
Regi, ac Reginæ poli,
Commendare non deſine.

Ant. Cœleſte beneficium &c.

℣. Ora pro nobis &c.

Orat. DEus, qui B. Annæ. &c.

AD COMPLETORIUM.

JESUS, MARIA, ANNA,

℣. Converte nos DEus salutaris &c.

℣. DEus in adjutoriũ meum intende, &c.

Hymnus.

OBtentu suæ Filiæ,
Mariæ plenæ gratiæ,
Nobis Authorem omnium
Reddat Anna propitium:
Gloria tibi Domine,
Ex Annæ nate germine,
Cum Patre & Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen

Ant. Cœleste beneficium, &c.

℣. Ora pro nobis, &c.

Orat. DEus, qui B. Annæ,

COMMENDATIO.

HAs horas Canonicas cum devotione,
Dixi: Sancta Anna, tui ratione;
Ut sis mihi præsens mortis in agone,
Et vivamus jugiter in cœli Regione. A.

OFFICIUM PARVUM.
DE S. BARBARA V. ET MART.
PRO FELICI MORTE.
AD MATUTINUM.

Diffusa est gratia in labijs tuis: pro-

pterea benedixit te DEus in æternum.
℣. Domine labia mea aperies,
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuā
℣. DEus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

FAtalis ô agonis
Patrona BARBARA.
Cœlestibus coronis,
Gemmisque fulgida!
Me terret imminente
Mors certa spiculo.
Sed, Virgo, te favente,
Sum par periculo.

Ant. Sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in justitia & judicio, & in misericordia, & in miserationibus. *Ose* 2. 19.

℣. Ora pro nobis S. Virgo & Martyr Barbara. ℟. Ut felix nobis sit mortis hora.

Oremus

INtercessio, quæsumus Domine, sanctæ Virginis & Martyris tuæ Barbaræ nos adjuvet: ut qui ejus patrocinium in angustijs & necessitatibus nostris imple-

imploramus; auxilium quoq; in hora potissimum mortis experiamur. Per Dominum nostrum &c.

℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor &c.
℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias
℣. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

AD PRIMAM.

Diffusa est gratia &c.
℣. DEus in adjutorium &c.
Gloria Patri &c. *Hymnus.*

TU vincis innocenti
  Candore lilia,
Per prata quæ nitenti
  Stant lacte turgida;
Da, candido nitore
  Ut, Virgo, fulgeam,
Castoque fac amore
  Ut purus ardeam.

Ant. Aquæ multæ non potuerunt extingvere charitatem, nec flumina obruent illam. *Cant.* 8 7.
℣. Ora pro nobis &c. *cum orat.*

AD TERTIAM.

Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te DEus in æternum.

℣. DEus in adjutorium, &c.

Hymnus.

DUm proprio cruore
Aspersa pingeris;
Vincis rosas rubore,
Quæ stant in hortulis.
O cœlico vireto
Plantate flosculę,
Hoc orbis in vepreto
Me, quæso, respice.

Ant. Hæc est, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. *Sap.* 3. 13.

℣. Ora pro nobis, &c. *cum orat.*

AD SEXTAM.

Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te DEus in æternum.
℣. DEus in adjutorium, &c.

Hymnus.

UT axe sunt sereno
Nocturna sidera:
Ut vere sunt amœno
Jucunda flumina;
Sic, Virgo, charitatis
Es luce fulgida;
Sic, Virgo, puritatis
Es rore limpida.

Ant. O quàm pulchra est casta generatio cum claritate: imortalis est enim memoria illius; quoniam & apud DEum nota est, & apud homines. *Sap.* 4. 1.
℣. Ora pro nobis &c. *cum orat.*

AD NONAM.

Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te DEus in æternum.
℣. DEus in adjutorium, &c.

Hymnus.

TE sentiunt Patronam,
Quos morbus opprimit;
Te sublevare pronam,
Quos cura deserit.
Angore cùm supremo
Me morbus opprimet,
Succurre, quando nemo
Levamen adferet.

Ant. Liberasti me secundùm multitudinem misericordiæ nominis tui, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circumdederunt me. *Eccl.* 51. 1.
℣. Ora pro nobis, &c. *cum orat.*

AD VESPERAS.

Diffusa est gratia in labijs tuis: pro-

pterea benedixit te DEus in æternum.
℣. DEus in adjutorium, &c.

Hymnus.

CUm ferreo sopore
Mors membra vinciet,
Et Tartarus furore
Bacchante sæviet:
Dum Judicis severi
Tribunal horreo;
Tum Virgo, me tueri
Ne differ, obsecro.

Ant. Mediâ nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. *Matth.* 25. 6.

℣. Ora pro nobis, &c. *cum orat.*

AD COMPLETORIUM.

Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te DEus in æternum.
℣. Converte nos DEus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. DEus in adjutorium, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

AMabo te, sanabo,
Dum vita manserit,
Magisque prædicabo,

Cùm vita cesserit:
Interque lilieta
Cùm me receperis,
Queis gaudijs repleta,
O Virgo! pasceris.

Ant. Jam hyems transit, imber abiit & recessit--- surge amica mea, speciosa mea, & veni. *Cant.* 2. 11. & 13.

℣. Ora pro nobis, &c. *cum orat.*

OBLATIO.

ADmitte nostra vota
O sancta BARBARA,
Perfecta mente totâ,
Patrona maxima.
Exopto te videre,
Cùm cesso vivere,
Tunc, oro, me tuêre,
Cœloque suscipe.

HYMNUS AD S. BARBARAM.

AVe Martyr gloriosa
BARBARA mundum perosa:
Paradisi vernans rosa
Castitatis lilium.
Ave Virgo pulchra tota,
Charitatis fonte lota:
Dulcis, mitis, & devota,

Vas virtutum omnium.
Ave criminis ignara,
Sponsum audis voce clarâ;
Veni pulchra, veni chara,
Veni coronaberis.
Ave Barbara serena,
Pulchra quasi luna plena:
Singulari cantilenâ,
Sponsum Agnum sequeris.
Ave Barbara beata,
Quæ cum sponso præparata,
Nuptiarum adoptata,
Transivisti gaudia.
Ave fulgens margarita,
In corona JEsu sita:
Tam in morte quàm in vita,
Sis nobis propitia.

℣. Specie tua & pulchritudine tua.
℟. Intende prospere, procede & regna.

Oratio.

INtercessio nos quæsumus Domine, B. Barbaræ Virginis & Martyris tuæ semper adjuvet, ut imparati: & subitò non moriamur, sed ante diem mortis nostræ, Sanctissimi Corporis & Sangvinis tui; sacrique Olei unctionis Sacramentis

mentis salubriter muniamur, & ab omni malo protecti, ex hoc exilio, ad cælestem patriam perducamur. Qui vivis &c. Amen.

Hymnus.

AD S. ROCHUM CONFESSOREM.

AVe Roche sanctissime,
Nobili natus, sangvine,
Crucis signaris schemate,
Sinistro tuo latere.

Tu, qui profectus peregre,
Pestiferâ tactos lue,
Plùs, quàm arte Angelicâ
Ope sanasti cœlicâ

Numinis in præsentiâ
Nostra nunc serva corpora,
Et crucis per subsidia,
A peste mundum libera.

Antiph. O quàm magnificum est nomen tuum, beate Roche, qui tuis intercessionibus multitudinem languentium nôsti salvare, & omnibus salutare tuum gloriosum commemorantibus, te propitium exhibere: Veni. & sana nos à morbo Epidemiæ, aërísque temperiem nobis concede.

 ℣. Ora

℣. Ora pro nobis Sancte Roche.
℟. Ut mereamur præservari à peste Epidemiæ.

Oratio.

DEus, qui per B. Rochum singulare nobis contra pestem potentis tuæ dextræ præsidium promisisti : præsta quæsumus, ut, qui ejus memoriam piâ devotione recolimus, ejus quoque intercedentibus meritis, ab omni tum animæ, tum corporis, mortiferâ lue præservemur.. Per Dominum nostrum &c. Amen.

Hymnus,

AD D. FRANCISCUM SERAPHICUM

FRancisce pauper & humilis,
Plus millies amabilis,
Tibi Patrono, supplicis
Attende vota pectoris.
Ave tuorum gaudium,
Toparcha magne Cœlitum,
Patientiæ miraculum,
Et pauperum solatium.
Lodice tectus paupere,
Et fune cinctus corpore,
DEum modestè vulneras,

Dum

Dum sic amantem provocas.
En ipse JESUS propria
Offert amoris vulnera,
Tuóque quino stigmate,
Signatus est in corpore.
O vis amoris maxima!
Quàm blanda sunt hæc vincula,
Quibus Deus mortalibus
Vult illigari cordibus.
Tu magne & ardens Seraphim,
Tanto fac æstu perpetim
Succendar in purissimas
Æterni amoris flammulas.
Hoc igne colliquescere,
Et pectus hoc consumere
Fac, millies amabilis
Francisce pauper, & humilis.

Antiph. Simalabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eũ,
℟. Stolam gloriæ induit eum.

Oratio.

DEus, qui Ecclesiam tuam B. Francisci meritis fœtu novæ prolis amplificas: tribue nobis, ex ejus imitatione ter-

terrena despicere, & cœlestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum, &c.

RESPONSORIUM S. BONAV.
Ad S. ANTONIUM DE PADUA

SI quæris miracula, mors, error, calamitas, dæmon, lepra fugiunt, ægri surgunt sani

Pereunt pericula, cessat & necessitas; narrent hi, qui sentiunt, dicant Paduani,

Cedunt, mare, vincula; membra, resque perditas petunt, & accipiunt juvenes, & cani.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Cedunt, mare, vincula; membra, resque perditas petunt, & accipiunt juvenes, & cani.

℣. Ora pro nobis Beate Antoni.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

ECclesiam tuam Deus, B. ANTONII Con-

Confessoris tui deprecatio votiva læ-tificet; ut spiritualibus semper munia-tur auxilijs, & gaudijs perfrui merea-tur æternis.

Interveniat quæsumus Domine a-pud te pro nobis intercedendo, sanctus & gloriosus tuus Confessor Antonius, quem innumeris maximorum miracu-lorum donis, & gloriâ sublimâsti. Per Dominum nostrum. &c.

DEVOTIO AD S. JUDAM THADÆUM, APOSTOLUM.

Ant. Qui timet DEum, faciet bona, & qui continens est justitiæ appreben-det illam, & obviabit illi, quasi mater honorificata, *Eccl.* 15.

℣. Sancte Juda Patrone fidelissime.

℟. Placato nobis DEum clementiam.

Oremus.

DEus, cujus bonitas, & clementia ex-hauriri non potest, aures benigni-tatis tuæ, famulorum famularumque tuarum precibus inclina, & præsta, ut omnes, qui te in Apostolo tuo Juda Tha-dæo devotè recolunt, meritis ejus effi-

cibus

cibus petitionis suæ effectum consequantur, Amen.

Oratio ad S. Iudam,

℣. Sancte Juda ora pro me.
℞. Et omnibus qui te colunt.

Oremus.

GLoriose Christi cognate, Apostole, & Martyr S. Juda, qui vastissimis in regionibus fidem efferatis gentibus disseminâsti: virtutibus, ac miraculis clarus, innumerabiles filios, JEsu Christo peperisti; per illum, qui te sibi Apostolum adscivit precor, ut me miserum à consvetudine peccatorum meorum abstrahas, à cogitationibus immundis me tuis meritis præserves, & in rebus desperatis tuo mihi adsis patrocinio; ac tandem ad invisibilem gloriam tuis precibus evehas, ubi Sancta Trinitas adoratur, in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, Amen.

DEVOTIO AD S. DISMAM POENITENTEM LATRONEM, MAGNUM Agonizantium Patronum.

Antiph. *Beati mortui, qui in Domino mori-*

moriuntur. Amodò jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis Apoc. 14.

O Dismа Latro pœnitens,
Lectissime Patrone!
Sis mihi Tutor, moriens,
Dum luctor in agone.

Oremus.

SAncte Disma, qui mirâ DEI providentiâ ex nefario Latrone in eximiũ pœnitentiæ speculum evasisti, & paucas intrà horas æterna tibi gaudia comparasti: aspice de sublimi gloriæ tuæ throno in hanc vallem miseriæ. Recordare, ô Sancte mirabilis! mentis humanæ fragilitatis, ad malum semper, quàm ad bonum magis proclivis: recordare, & pro nobis ad DEum appella, ut sicut per gratiam suam efficacem ad pœnitentiam, & paradisi cœlestis gloriam te perduxit, ita nos famulos suos, & famulas, eâdem efficaci gratiâ ad dignos pœnitentiæ fructus impellat: ut peccata tecum abolentes, pie tibi commoriamur; ac unâ tandem in DEo Salùtari nostro perenniter exultemus, Amen.

AL

AD S. PATRONUM MENSTRUUM.

Hymnus.

DIve, quem cæli Dominus Patronum,
Mense præsenti mihi destinavit;
Cælitus clemens opis indigentem
Cerne clientem.
Me pie JEsu, precor, & benignæ
Virginis Matris, fidei tuendum
Urbis, & Divis reliquis supremæ
Civibus offer.
Usque ad æternæ Patriæ beatos
Limites serva famulum, potiri
Lætus ut tandem valeam perennis
Lumine vitæ.

℣. Ora pro nobis sancte NN.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

DEus tuorum gloria sanctorum, præsta (quæso) ut intercessione sancti tui N. Patroni mei, liberer à cunctis malis animæ & corporis, ac eodem duce comiteque, securior ad vitam perveniam sempiternam, Amen.

HY-

HYMNUS AD S. CATHARINAM, PATRONAM STUDIOSORUM.

GAude Virgo CATHARINA
Quam refecit lux divina,
Ter quaternis noctibus.
Gaude, quòd tuâ doctrinâ,
Philosophos à ruina,
Traxisti & erroribus.
Gaude, quia meruisti,
Confortari voce Christi,
Per preces divinitus.
Gaude quia convertisti,
Sponsam Regis, & vidisti,
Rotas fractas cœlitus.
Gaude, sertis coronata,
Et in Sina venerata,
Olei stillamine,
Esto nobis advocata,
Apud DEum Virgo grata,
In nostro certamine.

℣. Diffusa est gratia in labijs tuis.
℟. Propterea benedixit te DEus in æternum.

Oremus.

OMnipotens sempiterne DEus, inefabilem misericordiam tuam supplicites

pliciter deprecamur, ut ſicut liquor de membris B. Virg. & Martyris tuæ Catharinæ jugiter manans, langvidorum corpora ſanat: ſic ejus ſancta oratio, à nobis omnes iniquitates expellat: graves tentationes, & impugnationes Dæmonis compeſcat. Omnia mala à nobis avertat, in bono confortet, certantes in agone confirmet: & feliciter ex corpore hoc mortali egreſſos, Tuæ Majeſtati in regno cœlorum præſentet. Per Dominum noſtrum &c.

HYMNUS DE S. ROSALIA V.

Ave Roſa ſine ſpina,
Contra peſtem medicina,
Roſalia Dux inclyta,
Recens à mundo cognita,
Exemplum ſecuta Chriſti,
Mundum relinquens, ſpreviſti
Quidquid Pater offerebat,
Quidquid Aula promittebat.
Ad montana procurriſti,
Specum ferro pertudiſti,
Monitorem ut haberes
Propoſiti, quem videres,
Angeli te docuerunt,

Modi

Modum novum ostenderunt,
Quo DEo preces solveres,
Rosas fragrantes mitteres.
Antrum, cœlum habuisti,
In quo Christum conspexisti,
Apostolis comitatum,
Angelis, Matre, stipatum.
Ab hoc corona donata,
Ad nuptias invitata,
Terras libens reliquisti,
Cœlum felix introîsti.
Tua sacra post hæc Ossa
Nulla unquam texit fossa,
Sed rupes aquam jugiter
Stillans, occlusit fortiter.
Post tot sæcla revelata;
In Patronam orbi data:
Contra pestem nobis fave;
Dum tibi sonamus, Ave,
Laus, honor, sit Majestati,
Uni Trinæ Deitati,
Rosaliam exaltanti,
Pestem per eam sedanti, Amen.

Antiph. Veni Sponsa Christi, acci pe coronam, quam tibi Dominus in æternum præparavit.

Ora

Oremus.

DEus, qui corpus Famulæ tuæ B. Rosaliæ Virginis, post tot sæcula intra montes inventum, contra sævientem pestilentiam sacrum amuletum fidelibus tuis esse voluisti, præsta supplicibus tuis: ut, qui sacras ejus reliquias colimus, & commemoratione lætamur, ejus quoque intervenientibus meritis, à præsentibus periculis, & à malo pestilentiæ liberemur. Per Dominum nostrum, &c.

Hymnus.

AD S. APOLLONIAM, V. & M.

Virgo Dei egregia,
Pro nobis, APOLLONIA,
Funde preces ad Dominum,
Ut tollat omne noxium,
Nè pro reatu criminum,
Morbo vexemur dentium,
Sed sanitate corporis
Gratulemur, & capitis.

℣. Specie tua & pulchritudine tuâ;
℟. Intende prosperè, procede, & regna.

Ore.

Oremus.

DEus, pro cujus sanctissimi nominis honore, B. Apollonia V. & Mart. gloriosa, amaram & horribilem dentium excussionem sustinuit: præsta quæsumus; ut, qui ejus memoriam piâ devotione frequentant, à tetro dentium dolore immunes custodias; & post hujus vitæ ærumnas, ad beatæ Patriæ gaudia perducas, Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio S. Brigittæ.

BEnedictio æterna sit tibi, Domine mi JESU Christe, qui existens in mortis agonia, omnibus peccatoribus de venia spem tribuisti, quando Latroni ad te converso paradisi gloriam misericorditer promisisti. Amen.

Oratio ad Sanctum, cujus Festum colitur.

VEneror & saluto te, ô beatissime N. per dulcissimum cor JEsu Christi! & ex animo tibi congratulor de il-

to honore, quo hodiernâ die assumptionis tuæ à DEo & tota cœli Curia es affectus. In augmentum gaudij & gloriæ tuæ offero tibi id ipsum superdignissimum cor JEsu Chisti; rogans, ut Deum pro me exorare, mihique in morte mea assistere digneris. Amen.

Oratio
AD OMNES SANCTOS.

O Felices Sancti DEi omnes, qui jam transiistis hujus mortalitatis pelagus, & pervenire meruistis ad portum perpetuæ quietis, securitatis, pacis: securi & tranquilli, semperque festivi atque gaudentes estis: obsecro vos per vestram charitatem, qui securi estis de vobis, soliciti estote de nobis: securi estis de vestra immarcescibili gloria, soliciti estote de nostra multiplici miseria. Per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cujus pulchritudine satiamini, de cujus immortalitate jam immortales facti estis, de cujus beatissima visione semper gaudetis, Amen.

PARS NONA.

De juvandis Moribundis & Defunctis.

QVantò egentiores opis alienæ sunt Moribundi & defuncti, tantò promptiùs & diligentiùs subveniat ipsis, oportet, Charitas Christiana. Circumdederunt me dolores mortis; & torrentes iniquitatis conturbaverunt me, dolores inferni circumdederunt me; præoccupaverunt me laquei mortis! *queritur Sanctus Psal. 17. Quantò magis similes nænias ingeminent animæ peccatrices, in mortis faucibus, vel Purgatorij flammis, constitutæ: unde nulla manus humana eruere illas potest. Necesse igitur est: ut frequente & fervente Oratione Misericordiam & gratiam Divinam ipsis conciliemus: si & ipsi in articulo simili cupimus juvari. Decretum enim est Iacobi 2. 13* Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.

PRE-

PRECES PRO INFIRMIS

Etiã à sano quovis sepiùs recitandæ

TESTAMENTUM HOMINIS CHRISTIANI.

IN nomine sanctissimæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

Ego N.N. Animam meam trado in manus Creatoris & Redemptoris sui: Corpus terræ unde exivit, restituendum relinquo: temporalibus bonis, honoribus ac delicijs prompto animo renuntio: te solo DEo ac Dño meo frui cupio.

De peccatis meis ex animo doleo, maximè istis... ideo solùm, quòd te DEum meum, quem super omnia amo, offenderim: seriam emendationem & satisfactionem, tuâ ope præstandam, promitto. Offensas omnes omnibus lubens condono; quod idem ut mihi fiat, humillimè peto. CREDO quicquid Ecclesia Catholica mihi credendum proponit. SPERO me per infinitam misericordiam tuam, mi DEus, remissionem omnium peccatorum, & vitam æter-

æternam conſecuturum. Eundem te verum DEum meum trinum in Perſonis, ſummum bonum meum amo ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ex omnibus viribus meis. Mala perinde, ac bona de manu tua cum gratiarum actione accepto; & me totum divinæ providentiæ tuæ, ſanctiſſimoq́; arbitrio committo.

Hanc ultimam voluntatem meam roborari, & confirmari peto teſtimonio & auxilio veſtro, ô S. MARIA, ô S. JOSEPH, ô S. ANGELE CUSTOS, ô S. BARBARA, ô SS. Patroni mei NN. adeſte obſecro piis deſiderijs, ac votis clientis veſtri NN.

Aſpirationes piæ ad vitam cæleſtem, etiam à ſanis ſæpè uſurpando

Ex c. 31. Soliloq. S. Auguſtini.

QUemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te DEus: Sitivit anima mea ad DEum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem tuam? O Fons vitæ, vena aquarum viventium, quando veniam ad aquas dulce-

dinis tuæ de terra deserta, in via, & inaquosa, ut videam virtutem tuam, gloriam tuam, & faciem ex aquis misericordiæ tuæ sitim meam? Sitio Domine, sitio te DEum vivum. O quando veniam & apparebo, Domine ante faciem tuam? Putasne video diem illam; diem inquam, jucunditatis & lætitiæ, diem, quam fecit Dominus, ut exultemus & lætemur in ea?

O dies præclara, & pulchra, nesciens vesperum, non habens occasum, in qua audiam vocem laudis, vocem exultationis & confessionis, in qua audiam: INTRA IN GAUDIUM DOMINI TUI.

O gaudium super gaudium, gaudium vincens omne gaudium, extra quod non est grandem, quando intrabo in te, ut videam DEum meum, qui habitat in eo: Ibo illuc & videbo visionem hanc grandem. Quid est, quod me detinet! heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.

Veni Domine, & noli tardare: veni Domine JEsu Christe, veni, & visita nos in pace: veni & educ vinctos de carce-

re, ut lætemur coram te corde perfecto: veni Salvator noster: veni desideratus cunctis gentibus, ostende faciem tuam & salvi erimus!

Quamdiu miser jactabor in fluctibus mortalitatis meæ clamans ad te Domine & non exaudis? audi clamantem Domine de hoc mari magno, & adduc me ad portum felicitatis æternæ. Felices, qui de periculis maris hujus educti ad te DEum portum tutissimum pervenire meruêre.

O verè beati, qui ad regnum omnium sæculorum pervenerunt! O quàm gloriosum est regnum, in quo tecum Domine regnant omnes sancti amicti lumine sicut vestimento, habentes in capite suo coronam de lapide pretioso. Ubi summum bonum possidetur, quod est videre semper faciem Domini virtutum.

En ad te clamamus redempti tui, sed & nunc exules tui, quos pretioso sangvine redemisti. Exaudi nos DEus salutaris noster, spes omnium finium terræ. Salva nos propter nomen sanctum tuum, Amen.

AFFECTUS MORIBUNDI.

AGnosce Domine creaturam tuam, non à Dijs alienis creatam, sed à te solo DEo vivo & vero, quia non est alius DEus præter te. Agnosce; repeto Domine, creaturam tuam, & animam servi tui, cujus delicta juventutis, & ignorantias, nè memineris; sed secundùm magnam misericordiam tuam memor esto mei in gloria claritatis tuæ.

Liberet me à cruciatu CHristus, qui pro me Crucifixus est. Liberet me ab æterna morte Christus, qui pro me mori dignatus est. Christus, verus ille Pastor, inter oves suas me agnoscat, & in Sorte electorum suorum constituat. Ità precor, ità spero, in nomine DEi Patris, qui me creavit, in nomine JESU Christi Filii DEi vivi, qui pro me passus est, in nomine Spiritûs Sancti, qui in me gratiâ suâ sæpius effusus est, Amen.

AD B. V. MARIAM.

AUdi & tu gemitus ac dolores ultimos servuli tui dulcissima Mater mea

mea Virgo MARIA: audi, fons vitæ & veniæ, salus omnium in te speranti-um; audi, & intercede, ut à ministris Satanæ liberatus, cum Christi fidelibus, Filij tui servis & amicis in beata regione vivorum collocer.

MARIA, Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.

Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria.

AD SS. ANGELOS.

ANgele mi custos fidelissime, vosque purissimi Spiritus cœlestes, Sancte Michaël, sancte Gabriel, sancte Raphaël, omnésque alii sancti DEi, respicite in me, jam eo gemens & suspirans, mors mihi in oculis est, & mortalium nemo, sed vos potestis succurrere. Ah nè me deserite in his summis angustiis meis, dum momentum illud imminet, in quo salus mea omnis, aut perennè stat exitium. Adjuvate! ante Regem Regum pro me supplices procumbite, meúmque mihi, obsecro, conciliate Judicem. Sententi-

tentiam ego nunc fupremam expecto, vos impetrare eam mihi ad vitam fempiternam.

Subvenite SS. Angeli, fuccurrite dilectiffimi Sancti DEI, Patroni mei N.N. jamjam aderit Judex meus Christus JEfus. Miferere ô JESU! miferere.

Sufpiria coram Crucifixo.

AD te iterum Redemptor meus, converto me, convertere & tu ad me, ô fpes unica, JEfu Crucifixe.

Concede clementiffime JEfu, etfi viliffimæ huic creaturæ, tuæ beneficium Redemptionis, & recipe miferabilem hanc animam meam intrà brachia mifericordiæ tuæ.

O JESU! ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua, & refecit immenfa charitas tua.

O bone JESU, è cujus venis copiofiffimus fangvis profluxit in mei redemptionem, Egone ego illa merces tanto pretio comparata? ego certè ovis illa perdita, fateor; reduc errantem ô dulcis paftor, & repone inter illas,

illas, quæ ſunt in ovili tuo.

Reſpice Domine ſanctę Pater de excelſo cœlorum habitaculo; ecçe vox ſangvinis fratris noſtri JESU, pro nobis clamat ad te de Cruçe.

Reſpice innocentes manus Chriſti tui, quæ diſtillant pretioſum ſangvinem, ut dimittas iniquitatem meam, & ne requiras opera manuum mearũ.

Intuere illud lanceâ perfoſſum pectus, & amore mei apertum cor, méque ex ſacro illo fonte renova.

Per ſacros illos pedes, duris clavis perforatos, dirige greſſus meos, ut non recedant hâc horâ à ſemita lucis & veritatis.

Defige oculos, ô Pater cœleſtis! in faciem hanc dilecti filij tui, & in membra conquaſſata Chriſti tui: & per miſerias, quas illę amore mei ſuſtinuit, miſerere mei.

Propter peccata populi tui vulneraſti dilectum cordis tui: eja Pater miſericordiſſime, quod ego non mereor, meretur pro me Chriſtus tuus, cujus amore, amplectere me gratiâ tuâ

tuâ ut Filium, & da mihi osculum pacis æternæ. O JESU crucifixe, in quem credo, in quem spero, quem amo & amabo in æternum; assiste nunc potenti manu, miserrimæ tuæ creaturæ in hac ultima necessitate, ut feliciter hunc passum mortis pertranseam.

Pone passionem, crucem, & mortem tuam inter judicium tuum, & animam meam.

Totum me tibi dedo, nè me rejicias; ad te venio, nè me repellas: sum enim caro de carne tua, & os ex ossibus tuis.

Suscipe me JESU crucifixe inter amorosa brachia tua, quæ pro me in cruce extensa cerno, & complector: suscipe me inter desiderabiles affectus tuos, & trahe ad te anhelantem animam meam, suscipe in pace spiritum meum.

Credo, doleo, spero, amo ô JEsu, fiat voluntas tua, JESU! MARIA; dulcissimi amores mei! patiar ego! moriar ego vestri amore: vester sim to-

totus: & nullatenus meus, ac si prorsus nihil essem: JESUS! MARIA!

TRES ORATIONES.

A circumstantibus dicendæ dum infirmus agonizat.

Oratio I.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. Ave Maria.

DOmine JEsu Christe, deprecor te per tuam sanctam agoniam, atque devotissimam orationem quam in monte Oliveti orasti, quando factus est sudor tuus sicut guttæ sangvinis decurrentis in terram, ut eundem sudorem sangvineum, quem pro timore mortis tam copiose sudasti, cœlesti Patri tuo offerre & ostendere digneris contra multitudinem peccatorum hujus infirmi. Et velis eum in hac hora obitus sui liberare ab omnibus angustijs & pœnis, quas pro peccatis suis se timet meruisse, Amen.

Oratio II.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleiſon.

Pater noſter. Ave Maria,

DOmine JEſu Chriſte, qui pro ſalute mundi in dura cruce mori dignatus es; deprecor te, ut amaritudinem illam, quam in eadem ſuſtinuiſti, præſertim quando ſacratiſſima anima tua egreſſa eſt de benedicto corpere tuo, cœleſti Patri tuo offerre & oſtendere digneris pro peccatrice anima hujus infirmi; eumque in hac hora mortis ſuæ liberare ab omnibus pœnis & cruciatibus, quos pro peccatis ſuis ſe timet meruiſſe. Amen.

Oratio III.

Kyrie eleſon, Chriſte eleiſon,

Kyrie eleiſon.

Pater noſter. Ave Maria.

DOmine JEſu Chriſte, qui per Prophetam tuum dixiſti; In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans tui: rogo te per amorem illum, qui te de cœlis ad terram ad patiendam omnem miſeriam traxit, cœleſti Patri tuo offerre & oſtendere digneris pro anima hujus infirmi; eamque liberare

rare ab omnibus pœnis & cruciatibus, quos pro peccatis ſuis ſe timet meruiſſe. Adſis ei, pie Jeſu in hac hora mortis ſuæ, aperi ei januam vitæ, & perduc animam ejus in paradiſum exultationis, ubi te laudet per infinita ſæcula. Amen.

Oblatio Paſſionis Chriſti pro defunctis.

RESpice pie Pater de ſede magnitudinis tuæ ad miſeras animas in purgatorio detentas. Reſpice pœnas & cruciatus, quibus tam miſerabiliter torquentur; Conſidera gemitus ac lachrymas quas ad te fundunt: audi preces & ſupplicationes, quibus miſericordiam tuam implorant, & eſto propitius peccatis eorum. Recordare, pijſſime Pater, pœnarum quas Filius tuus pro eis ſuſtinuit- memento copioſiſſimi ſangvinis, quem pro eis fudit: reminiſcere acerbiſſimæ mortis, quam pro eis ſubiit, & miſerere earum. Pro omnibus peccatis, quæ unquam perpetrarunt, offero tibi ſanctiſ-

ſimam vitam & converſationem Filii tui dilectiſſimi: pro ipſorum negligentijs, offero tibi ferventiſſima ejus deſideria: pro omiſſionibus bonorum operum, offero tibi ejusdem meritorum abundantiam: pro omni injuria tibi irrogata, offero omne, quod tibi exhibuit, beneplacitum. Demum pro omnibus pœnis quibus obnoxii detinentur, offero tibi omnes pœnitentias, jejunia vigilias, orationes, labores, & afflictiones, vulnera, livores, paſſionem & mortem quam innocentiſſimè promptiſſiméque ſuſtinuit, rogans ut per hæc placatus ad gaudia eos æterna perducas.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

AD VESPERAS.

Antiphona Placebo Domino.

Pſalmus 114.

Dilexi, quoniam exaudivit Dominus: vocem orationis meæ.

Quia inclinavit aurem ſuam mihi: & in diebus meis invocabo.

Circumdederunt me dolores mortis: & pericula inferni invenerunt me.

Tribulationem, & dolorem inveni: & nomen Domini invocavi.

O Domine libera animam meam: misericors Dominus, & justus, & Deus noster miseretur.

Custodiens parvulos Dominus: humiliatus sum, & liberavit me.

Convertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.

Quia eripuit animam meam de morte: oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.

Placebo Domino: in regione vivorũ.

In fine omnium Psalmorum dicitur.

Requiem æternam dona eis Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Placebo Domino in regione vivorum.

Antiph. Hei mihi Domine.

Psalmus 119.

AD Dominum cùm tribularer, &c. Vide fol. 356.

Antiph. Hei mihi Domine, quia incolatus meus prolongatus est.

Antiph. Dominus custodit me.

Psalmus 120.

LEvavi oculos meos. &c. V. fol. 134.

Antiph. Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

Antiph. Si iniquitates.

Psalmus 129.

DE profundis. &c. V. fol. 357.

Antiph. Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit.

Antiph. Opera manuum.

Psalmus 137.

COnfitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Super misericordia tua, & veritate tua: quoniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacunque die invocavero te, exaudi me; multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi Domine omnes Reges

ges terræ: quia audierunt omnia verba oris tui.
Et cantent in viis Domini: quoniam magna est gloria Domini.
Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit & alta à longe cognoscit.
Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me; & super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & salvũ me fecit dextera tua.
Dominus retribuet pro me: Domine misericordia tua in sæculum: opera manuum tuarum ne despicias.
Requiem æternam &c.
Antiph Opera manuum tuarum ne despicias.
℣. Audivi vocem de cœlo dicentem mihi:
℣. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.
Magnificat anima mea. Vide fol. 370
Requiem æternam &c.
Antiph. Omne quod dat mihi Pater ad me veniet, & eum qui venit ad me, non ejiciam foras
Preces infra scripta dicuntur flexis genibus

bus, similiter & ad Laudes.

Pater noster. *Secretò usque ad*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

Psalmus 145.

LAuda anima mea Dominum, laudabo DEum in vita mea: psallam DEo meo quamdiu fuero.

Nolite confidere in Principibus: in filijs hominum, in quibus non est salus.

Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam; in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus cujus DEus Jacob, adjutor ejus; spes ejus in Domino DEo ipsius: qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt.

Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patientibus; dat escam esurientibus.

Dominus solvit compeditos: Dominus illuminat cœcos.

Dominus erigit elisos: Dominus diligit justos.

Dominus custodit advenas, pupillum & viduam suscipiet: & vias pecca-

torum

torum disperdet.

Regnabit Dominus in sæcula, Deus tuus Sion: in generationem & generationem.

Requiem æternam &c.

℣. A porta inferi.

℟. Erue Domine animas eorum.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Pontificali, seu sacerdotali fecisti dignitate vigere, præsta quæsumus ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

DEus veniæ largitor, & humanæ salutis amator: quæsumus clementiam tuam; ut nostræ Congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt; B. Mariâ semper Virgine intercedente, cum omnibus SS. tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium DEus omnium conditor & Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, pijs supplicationibus consequantur. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Requiem æternam &c.

Alias particulares orationes vide in fine huius Offi ij.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem cui omnia vivunt, Venite adoremus.

Et repetitur. Regem cui omnia vivunt, Venite adoremus.

Psalmus 94.

VEnite exultemus Domino, &c. *ut suprà fol. 111.*

IN I. NOCTURNO.

Pro Feria II. & V.

Antiph. Dirige Domine.

Psalmus 5.

VErba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ, Rex meus

meus & DEus meus.

Quoniam ad te orabo: Domine manè exaudies vocem meam.

Manè aſtabo tibi, & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit juxta te malignus: neque permanebunt injuſti ante oculos tuos.

Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum ſangvinum & doloſum abominabitur Dominus: ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ.

Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.

Domine deduc me in juſtitia tua: propter inimicos meos dirige in conſpectu tuo viam meam.

Quoniam non eſt in ore eorum veritas, cor eorum vanum eſt.

Sepulchrum patens eſt guttur eorum, lingvis ſuis dolosè agebant, judica illos DEus.

Decidant à cogitationibus ſuis, ſecundùm multitudinem impietatum eorum

orum expelle eos, quoniam irritaverunt te Domine.

Et lætentur omnes qui ſperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices juſto.

Domine ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ, coronaſti nos.

Requiem æternam &c.

Antiph. Dirige Domine DEus meus in conſpectu tuo viam meam.

Antiph. Convertere.

Pſalmus.

DOmine, ne in furore tuo arguas me, &c. *vide fol.* 124.

Requiem æternam &c.

Antiph. Convertere Domine, & eripe animam meam, quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui.

Antiph. Ne quando.

Pſalmus 7.

DOmine Deus meus in te ſperavi, ſalvum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.

Ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non eſt qui redimat, neque qui ſalvum faciat.

Domine DEus meus ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.

Perſequatur inimicus animam meam: & comprehendat & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat.

Et exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum.

Exurge Domine DEus meus in præcepto quod mandaſti, & Synagoga populorum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere: Dominus judicat populos.

Judica me DEus ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm innocentiam meam ſuper me.

Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges juſtum ſcrutans corda, & renes DEus.

Juſtum adjutorium meum à Domino, qui

qui salvos facit rectos corde.

DEus judex justus, fortis & patiens, nunquid irascitur per singulos dies.

Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit illum.

Et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.

Ecce parturiit injustitiam: concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foveam, quam fecit.

Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

Confitebor Domino secundùm justitiam ejus, psallam nomini Domini altissimi. Requiem æternam, &c.

Antiph. Ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

℣. A porta inferi,

℟. Erue Domine animas eorum.

Pater noster, *totum secretò.*

Lectio 1. *Job.* 7.

PArce mihi, Domine, nihil enim sunt dies

dies mei. Quid est homo, quia magnificas eũ? aut quid apponis erga eũ cor tuum? visitas eum diluculo & subitò probas illũ. Usquoque nõ parcis mihi nec dimittis me, ut glutiam salivam meam? peccavi, quid faciam tibi ô custos hominum? quare posuisti me contrarium tibi & factus sum mihimetipsi gravis. Cur non tollis peccatum meum? & quare non auffers iniquitatem meam? ecce nunc in pulvere dormiã, & si manè me quæsieris, non subsistam.

℟. Credo quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo DEum Salvatorem meum.

℣. Quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt. Et in carne.

Lectio II. Iob. 10.

TÆdet animam meam vitæ meæ, dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ, dicam DEo nolli me condemnare; indica mihi, cur me ita judices. Nunquid bonum tibi videtur, si calumnieris

ris me, & opprimas me opus manuum tuarum, & consilium impiorum adjuves? Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu videbis? Nunquid, sicut dies hominis, dies tui, & anni tui sicut humana sunt tempora, ut quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris? Et scias quia nihil impium fecerim, cum sit nemo, qui de manu tua possit eruere.

℟. Qui Lazarum resuscitasti à monumento fœtidum: tu eis Domine dona requiem & locum indulgentiæ.

℣. Qui venturus es judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem.

℟. Tu eis Domine dona requiem & locum indulgentiæ.

Lectio III. Job 10.

Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu, & sic repentè præcipitas me? Memento quæso, quod sicut lutum feceris me & in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? pelle, & carnibus vestisti me, ossibus & nervis compegisti me. Vitam

&

& misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodivit spiritum meum.

℟. Domine, quando veneris judicare terram, ubi me abscondam à vultu iræ tuæ? Quia peccavi nimis in vita mea.

℣. Commissa mea, pavesco, & ante te erubesco, dum veneris judicare, noli me condemnare. ℟. Quia peccavi nimis in vita mea.

℣. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. ℟. Quia peccavi nimis in vita mea.

IN II. NOCTURNO.

Pro Feria III., & VI.

Antiph. In loco pascuæ.

Psalmus 22.

DOminus regit me & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiæ propter nomen suum.

Nam, & si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.

Virga tua, & baculus tuus: ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam: adversus eos qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus est.

Et misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.

Requiem æternam, &c.

Ant. In loco pascuæ ibi me collocavit.

Antiph. Delicta.

Psalm. 24.

AD te Domine levavi animam meam, DEus meus in te confido, non erubescam.

Neque irrideant me inimici mei, etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes; supervacuè.

Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es DEus Salvator meus, & te

& te ſuſtinui tota die.
Reminiſcere miſerationum tuarum Domine: & miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt.
Delicta juventutis meæ; & ignorantias meas ne memineris.
Secundùm miſericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine.
Dulcis, & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.
Diriget manſuetos in judicio: docebit mites vias ſuas.
Univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas: requirentibus teſtamentum ejus, & teſtimonia ejus.
Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum eſt enim.
Quis eſt homo qui timet Dominum, legem ſtatuit ei in via, quam elegit.
Anima ejus in bonis demorabitur: & ſemen ejus hæreditabit terram.
Firmamentum eſt Dominus timentibus eum, & teſtamentum ipſius, ut manifeſtetur illis.
Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam

niam ipſe evellet de laqueo pedes meos.

Reſpice in me & miſerere mei, quia unicus, & pauper ſum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt, de néceſſitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte univerſa delicta mea.

Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt: & odio iniquo oderunt me.

Cuſtodi animam meam & erue me: non erubeſcam, quoniam ſperavi in te.

Innocentes & recti adhæſerunt mihi: quia ſuſtinui te.

Libera DEus Iſraël: ex omnibus tribulationibus ſuis.

Requiem æternam &c.

Ant. Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.

Antiph. Credo videre.

Pſalmus 26

DOminus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?

Dum appropiant ſuper me nocentes:

tes: ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei; ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt.

Si conſiſtant adverſum me caſtra: non timebit cor meum.

Si exurgat adverſum me prælium: in hoc ego ſperabo.

Unam petij à Domino, hanc requiram: ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.

Ut videam voluptatem Domini: & viſitem templum ejus.

Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo: in die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui.

In petra exaltavit me, & nunc exaltavit caput meum ſuper inimicos meos.

Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hoſtiam vociferationis; cantabo, & pſalmum dicam Domino.

Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te: miſerere mei, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea, faciem tuam Domine requirã.

Nè avertas faciem tuam à me, ne decli-

declines in ira à servo tuo.

Adjutor meus esto, ne derelinquas me: neq; despicias me, Deus salutaris meus.

Quoniam Pater meus, & Mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi Domine in via tua, & dirige me in semitam rectam, propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini, in terra viventium.

Exspecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Requiem æternam &c.

Antiph. Credo videre bona Domini, in terra viventium.

℣. Collocet eos Dñus cum Principibus.

℟. Cum Principibus populi sui.

Pater noster, *totum secretò.*

Lectio IV. Iob. 13.

RESponde mihi, quantas habeo iniquitates, & peccata; scelera mea, & delicta

delicta ostende mihi. Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris. Scribis enim contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum, & observasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti, qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur à tinea.

℟. Memento mei DEus, quia ventus est vita mea: Nec aspiciat me visus hominis.

℣. De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Nec aspiciat me visus hominis.

Lect. 10 V. Iob 14.

HOmo natus de muliere, brevi vivens tempore, multis repletur miseriis. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super hujuscemodi ap-

ri

rire oculos tuos, & adducere eum tecum in judicium. Quis potest facere mundum, de immundo conceptum femine? nonne tu: qui solus es? breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est, constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Recede paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarij dies ejus.

℟. Hei mei Domine, quia peccavi nimis in vita mea. Quid faciam miser? ubi fugiam? nisi ad te DEus meus. Miserere mei dum veneris in novissimo die.

℣. Anima mea turbata est valdè, sed tu Domine succurre ei. ℟. Miserere mei.

Lectio VI. Iob 24.

QUis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus in quo recorderis mei? Putásne mortuus homo rursum vivat? cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego respondebo tibi, operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidem gressus meos dinume-

numerasti, sed parce peccatis meis.

℟. Ne recorderis peccata mea Domine. Dum veneris judicare sæculum per ignem.

℣. Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam. ℟. Dum veneris.

Requiem æternam. ℟. Dum veneris.

IN III. NOCTURNO.

Pro Feria IV & Sabbato.

Antiph. Complaceat.

Psalmus 39.

EXpectans expectavi Dominum: & intendit mihi.

Et exaudivit preces meas: & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis.

Et statuit super petram pedes meos: & direxit gressus meos.

Et immisit in os meum canticum novum: carmen DEo nostro.

Videbunt multi & timebunt: & sperabunt in Domino.

Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus: & non respexit in vanitates & insanias falsas.

Multa fecisti tu Domine DEus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non

non est, qui similis sit tibi.

Annunciavi & locutus sum: multiplicati sunt super numerum.

Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum & pro peccato non postulâsti, tunc dixi: ecce venio.

In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: DEus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

Annunciavi justitiam tuam in Ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo; Domine tu scîsti.

Justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, & salutare tuum dixi.

Non abscondi misericordiam tuam & veritatem tuam: à concilio multo.

Tu autem Domine nè longè facias miserationes tuas à me: misericordia tua & veritas tua semper susceperunt me.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum nō est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui

tui ut viderem.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi Domine, ut eruas me: Domine, ad adjuvandum me respice.

Confundantur & revereantur simul, qui quærunt animam meam: ut auferant eam.

Convertantur retrorsum & revereantur, qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusionem suam: qui dicunt mihi: euge euge.

Exultent & lætentur super me omnes quærentes te: & dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego autem mendicus sum, & pauper: Dominus solicitus est mei,

Adjutor meus & protector meus tu es: DEus meus ne tardaveris.

Requiem æternam, &c.

Ant. Complaceat tibi Domine; ut eripias me: Domine ad adjuvandum me respice.

Ant. Sana Domine,

Psalmus 40.

BEatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conſervet eum & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus, univerſum ſtratum ejus verſâſti in infirmitate ejus.

Ego dixi: Domine miſerere mei: ſana animam meam, quia peccavi tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi: quando morietur, & peribit nomen ejꝰ.

Et ſi ingrediebatur ut videret, vana loquebatur: cor ejus congregavit iniquitatem ſibi.

Egrediebatur foras: & loquebatur in idipſum.

Adversùm me ſuſurrabant omnes inimici mei: adversùm me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum conſtituerunt adversùm me: nunquid qui dormit, non adjiciet, ut reſurgat.

Etenim

Etenim homo pacis meæ, in quo speravi: qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me: & retribuam eis.

In hoc cognovi, quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Me autem propter innocentiam suscepisti: & confirmásti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus DEus Israël à sæculo & usque in sæculum: fiat, fiat.

Requjem æternam &c.

Ant. Sana Domine animam meam, quia peccavi tibi.

Ant. Sitivit anima mea. *Psal.* 41.

QUemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te DEus.

Sitivit anima mea ad DEum fortem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem DEi.

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: ubi est DEus tuus?

† Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum DEi.

In voce exultationis, & confessionis sonus epulantis.

† Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultûs mei & DEus meus.

Ad me ipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermonijm à monte modico.

Abyssus abyssum invocat: in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui: super me transierunt.

℣. In die mandavit Dominus misericordiam suam: & nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo: susceptor meus es.

Quare oblitus es mei & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum

Dum confringuntur ossa mea: exprobaverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies: ubi est Deus tuus? quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spero in DEo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultûs mei, & Deus meus.

Requiem æternam &c.

Ant. Sitivit anima mea ad Deum vivum; quando veniam, & apparebo ante faciem Domini.

℣. Nè tradas bestijs animas confitentes tibi.

℟. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Pater noster, &c. *totum secretò.*

Lectio VII. Iob 17.

SPiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, & solùm mihi superest sepulchrum. Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Libera me Domine, & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me, dies mei transierunt, cogitationes meæ dis-

dissipatæ sunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, & rursum post tenebras spero lucem. Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris, stravi lectulum meum. Putredini dixi, Pater meus es; mater mea, & soror mea vermibus. Ubi est ergò nunc præstolatio mea, & patientiam meam quis considerat?

℟. Peccantem me quotidie, & non pœnitentem, timor mortis conturbat me. Quia in inferno nulla est redemptio; miserere mei DEus, & salva me.

℣. DEus in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua libera me. ℟. Quia.

Lectio VIII. Iob. 19.

PElli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodò labia circa dentes meos. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quare persequimini me sicut DEus, & carnibus meis saturamini? Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi

plumbi lamina, vel cete sculpantur in silice? Scio enim quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo DEum meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & nō ali⁹ reposita est hæc spes mea in sinu meo

℟. Domine, secundùm actum meum noli me judicare: nihil dignum in conspectu tuo egi: ideo deprecor Majestatē tuam; ut tu deleas iniquitatem meam.

℣. Ampliùs lava me Domine ab injustitia mea, & à delicto meo munda me. ℟. Ut tu DEus deleas iniquitatem meā.

Lectio IX: Iob. 10.

QUare de vulva eduxisti me? qui utinam consumptus essem nè oculus me videret. Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum. Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte ergo me, ut plangam paululùm dolorem meum: antequam vadam, & non revertar, ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarū,

ubi umbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

℟. Libera me Domine de vijs inferni. qui portas æreas confregisti, & visitâsti infernum, & dedisti eis lumen, ut viderent te; qui erāt in pœnis tenebrarū.

℣. Clamantes, & dicentes; Advenisti Redemptor noster. ℟. Qui erant in pœnis tenebrarum.

℣. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. ℟. Qui erant in pœnis tenebrarum.

Sequens Resp. dicitur solùm in die Commemorationis omnium Defunctorum, & quando dicuntur tres nocturni, ut suprà.

℟. Libera me Domine de morte æterna, in die illa tremenda; Quando cæli movendi sunt, & terra; Dum veneris judicare sæculum per ignem.

℣. Tremens factus sum ego, & timeo, dum discussio venerit, atq; ventura ira. ℟. Quando cæli movendi sunt & terra.

℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis & miseriæ, dies magna & amara valdè. ℟. Dum veneris judicare &c.

℣. Requiem æternam, &c. Libera me, *usq; ad primum versum.* AD

AD LAUDES.

Ant. Exultabunt Domino.

Psalmus 50.

MIserere mei DEus: secundùm magnam &c. *vide fol.* 129.

Ant. Exultabunt Dño ossa humiliata.

Ant. Exaudi Domine. *Psalm.* 64.

TE decet hymnus DEus in Sion: & tibi reddetur votum in Jerusalem.

Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum prævaluerunt super nos: & impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus, quem elegisti & assumpsisti: inhabitavit in atrijs tuis.

Replebimur in bonis domûs tuæ: sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos DEus salutaris noster: spes omnium finium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentiâ: qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

Turbabuntur gentes, & timebunt,

qui

qui habitant terminos, à ſignis tuis: exitus matutini & veſpere delectabis.

Viſitâſti terram & inebriâſti eam: multiplicâſti, locupletare eam.

Flumen DEi repletum eſt aquis, parâſti cibum illorum: quoniam ità eſt præparatio ejus.

Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus: in ſtillicidijs ejus lætabitur germinans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur ubertate.

Pingveſcent ſpecioſa deſerti: & exultatione colles accingentur.

Induti ſunt arietes ovium, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent. Requiem &c.

Ant. Exaudi Domine orationem meam, ad te omnis caro veniet.

Antiph. Me ſuſcepit. *Pſal.* 62.

DEus, DEus meus, &c. *vide fol.* 336.

Ant. Me ſuſcepit dextera tua Domine

Ant. A porta inferi.

Canticum Ezechiæ Iſa. 38.

EGo dixi in dimidio dierum meorum: vadam ad portas inferi.

Quæſivi reſiduum annorum meorum: dixi non videbo Dominum DEum in terra viventium.

Non aſpiciam hominem ultra: & habitatorem quietis.

Generatio mea ablata eſt, & convoluta eſt à me, quaſi tabernaculum Paſtorum.

Præciſa eſt velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer, ſuccedit me: de manè uſque ad veſperam finies me.

Sperabam uſque ad manè: quaſi leo ſic contrivit omnia oſſa mea.

De manè uſque ad veſperam finies me: ſicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor ut columba.

Attenuati ſunt oculi mei, ſuſpicientes in excelſum.

Domine vim patior, reſponde pro me, quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cùm ipſe fecerit?

Recogitabo tibi omnes annos meos: in amaritudine animæ meæ.

Domine ſi ſic vivitur, & in talibus vita ſpiritus mei, corripies me, & vivificabis me: ecce in pace amaritudo

mea

mea amarissima.

Tu autem eruisti animam meam: ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te, non expectabunt, qui descendunt in lacum veritatem tuam.

Vivens, vivens ipse confitebitur tibi sicut & ego hodie, Pater filijs notam faciet veritatem tuam.

Domine salvum me fac, & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

Requiem æternam &c.

Ant. A porta inferi, erue Domine animam meam.

Ant. Omnis spiritus laudet Dominũ.

Psalmus 148.

LAudate Dominum de cælis &c. *Cum reliquis, vide fol.* 341.

℣. Audivi vocem de cælo dicentẽ mihi.
℟. Beati mortui qui in Dño moriuntur.
Benedictus &c. *vide fol* 345

Ant. Ego sum resurrectio, & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit

erit, vivet, & omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Pater noster, &c. Psal. De profundis.

Cum precibus & Orat. ut suprà in Vesperis.

In die commemorationis omnium fidelium Defunctorũ quando una tantùm dicit. Oratio Fidelium Deus omnium conditor, &c. *& in fine* Qui vivis & regnas cum DEo Patre in unĩtateSpiritûs Sancti Deus:per omnia sæcula sæculorum. Amen.

In die obitûs defuncti, vel defunctæ.

Oratio.

ABsolve, quæsumus Domine, animam famuli tui, (vel famulæ tuæ) N. ut defunctus (vel defuncta) sæculo, tibi vivat;&quæ per fragilitatem carnis,humana conversatione commisit, tu veniâ misericordissimæ pietatis absterge. Per.

In anniversario die Defunctorum.

Oratio.

DEus indulgentiarum Domine, da animabus famulorum famularumq; tuarum, quorum anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerij sedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per Dominum &c.

Or

ORATIO PRO ANIMARUM SALUTE

devotè dicenda.

MIserere Domine mi animabus, quæ singulares apud te non habent intercessores, quibus consolatio non est in tormentis, neque spes ulla, nisi quod ad imaginem, & similitudinem tuam creatæ sunt, quæ antiquitate, vel paupertate, aut negligentiâ, in oblivionem Parentum, & servorum tuorum traditæ sunt: quarum primus, septimus tricesimus, aut anniversarius dies nunquam celebratur. Parce eis Domine, & defende plasma tuum, libera eas in locum refrigerij, lucis, & pacis. Per eum qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

ORATIO PRO HIS

Qui in cœmiterio requiescunt.

DEus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt: famulis, & famulabus tuis, & omnibus hìc & ubiq;, in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum: ut à cunctis reatibus absoluti, tecum sinè fine lætentur. Per Dominum nostrum &c.

CO-

COROLLARIUM

Formula dedicandi se Beatissimæ Virgini Sodalium Immaculatæ Conceptionis.

SAncta MARIA Mater DEi, & Virgo Immaculata. Ego NN. peccator vilissimus, undecunque purissimo conspectu Tuo indignissimus, impulsus desiderio Tibi serviendi, ac fretus pietate Tuâ singulari, coram benedicto Filio Tuo, & Curia Cælesti universa, dedico me tibi hodie in mancipium perpetuum, in Congregatione Imaculatæ tuæ Conceptionis, & felicissimi Transitûs Tui, eligoque Te in singularem meam Dominam, Matrem & Advocatam, & firmiter propono me nunquam Te deserturum, sed semper Tuum honorem defensuruum. Et præcipuè Voveo, me Tuam semper Immaculatam Conceptionem & puritatem illibatam, usq; ad meam mortem propugnaturum. Te itaq; Virgo Sacrosancta per Sangvinem Unigeniti Filij Tui JEsu Christi oro, ut me inter alios Tibi devotos in Servum perpetuum admittere digneris, adsisq; mihi in omni-

bus necessitatibus meis & super omnia, non me deseras in hora mortis meæ. A.

Preces initio Congregationis dicendæ.

VEni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur

℟. Et renovabis faciem terræ.

OREMUS.

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Hymnus ad S. Spiritum ante admissionem ad Sodalitatem.

VEni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple supernâ gratiâ,
Quæ tu creasti pectora.
Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum DEi,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.
Tu septiformis munere,
Digitus Paternæ Dexteræ,

Tu ritè promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis,
Virtute firmans perpeti,
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Doctore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque filium,
Teque utriusque Spiritum,
Credamus omni tempore.
DEo Patri sit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In sæculorum sæcula. Amen.

℣. Emitte spiritum &c. ℟. Et renovabis.

ORÉMUS.

Actiones nostras, quæsumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio & operatio, à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Gratiarum actio post admissionem ad Sodalitatem.

Te DEum laudamus, &c. *vide fol. 332.*

℣. Benedicamus Patrem, & Filium cum sancto Spiritu.

℟. Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula.

℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor &c.

OREMUS.

DEus, cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, pijssimæ Majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem nos deserens ad præmia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. A.

℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor &c.

℣. Benedicamus Dño. ℟. DEo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam DEi requiescant in pace. ℟. Amen.

Oratio pro impetranda perseverantia in Cultu DEI, & B. MARIÆ V.

DEus, qui nos sub alis sanctissimæ Matris filij tui constitutos, ad bravium supernæ vocationis accendis: pectoribus

bus noſtris purificandis illabere, & gratiam nobis, quâ in tuo, ejuſdemq; Sanctiſſimæ Virginis MARIÆ ſervitio perſeveremus, infunde: ut protectionis tuæ muniti præſidijs, quod te donante concepimus, impleamus; & noſtri propoſiti executores effecti, ad ea; quæ perſeverantibus in te promittere dignatus es, pertingamus. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

INDULGENTIÆ

DIEBUS DOMINICIS.

DOm. Septuag. 1. 2. 3. 4. quadrag. Indulg. plenar. & lib. animæ è purg.

Dom. Quinquag. & toto triduo in templo S. J. peractâ inibi Confeſſ. & S. Comm. Indulg. plen.

Dom. Reſurrect. In Albis. Pentecoſtes, SS. Trinitat. ſingulis, menſis Maji, Junij, & Adventûs, Primis Domin. ſingulorum menſium in Templo S. J. Indulg. plen.

DIEBUS FESTIS.

AD quodvis Sacrum ex tribus Natalis D., ſecundo & tertio die Paſchæ, In Aſcenſione D., ſecundo & tertio fe-

sto Pent. SS. Trinit. Indulg. plen St.

DIEBUS FERIALIBUS.

DIe cinerum Indulg. plen. & 3000 an.
Per quadragesimam die 4. 6. 10. 11. 18. 25. 32. 41. 42. 43. 44. 45. 46. Indulg. plen. Alijs diebus, per totam quadr. Ind. maximæ, ultimis 14. quotidie plen. Triduo Rogat. fer. 4. 6. & Sab. 4. temp. Indul. plen. sunt ad S. Mar. de populo.

Per totam Octavam Paschæ, Pentecostes, Ascensionis, & Corporis Christi Indulg. plen. sunt.

Sab. Dom. 2. quad. Feriæ 6. & Sab. Dom. 5. Fer. 4. Pentecost. Sab. 4. temp. in Sept. liber. animæ à purg.

ALIÆ SODALIBUS PROPRIÆ.

Ipso die quo confessi & Sacrâ Communione refecti ad Sodalitatem admittuntur. Similiter in hora mortis.

In solemni seu tutelari festo suæ Congregationis.

In festis Nativit. & Ascens. D. In Annunciat. Assumpt. Concept. & Nativ. B. V. Indulg. plenar.

DECEM ANNORUM.

QUando ritè confessi & S. Synaxi refecti

fecti visitant Templum S. J. in festis Paschæ, Pent. Corp. Christi, Omnium Sanctorum & singulorum Apostolorum In Nativit. Christi & Sancti Joan. Bapt,

UNIUS ANNI.

QUoties sodalium vel aliorum corpora ad sepulturam comitantur, vel impediti audito signo campanæ pro viatico aut sepultura genuflexi Pater & Ave pro Infirmo, aut anima defuncti recitaverint. Quoties cœtibus publicis aut privatis, Divinis Officijs, sacris exhortationibus, pijs colloquiis, sacro die feriato, Litanijs diebus Sabbativis, Festis aut Vigilijs intersunt, Officium & Coronam B. Virg. recitant; conscientiam examinant; infirmos vel incarceratos, aut in hospitali degentes visitant, pacem inter inimicos conciliant, & psalmum MISERERE in Templo Soc: JESU per quadragesimam decantari audiunt.

Præter has, possunt etiam consequi omnes alias indulgentias, gratias & privilegia Congregationi Romanæ, vel alijs ad eam aggregatis concessa non ibi-

tantùm Sodales, ſed & utriuſque ſexûs Chriſti fideles verè pœnitentes & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, qui Eccleſiam Soc: JESU, ſi ibi habebitur, alioquin aliam, devotè viſitaverint, ibidemque ſepties Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitaverint, proq; Reipublicæ Chriſtianæ conſervatione, Sacræ Romanæ Eccleſiæ augmento, pro hæreſum extirpatione, Principum Chriſtianorum mutua concordia, & univerſali pace, & Romani Pontificis proſperitate oraverint.

PROFESSIO FIDEI.

Quæ ſæpius cum laude & merito iterari poteſt.

EGo N. firmâ fide credo, & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo ſancta Romana Eccleſia utitur: videlicet: *Credo* in unum DEUM, Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum Dominum JEſum Chriſtum, filium DEI unigenitum. Et ex Patre natum, ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, DEum verum, de DEO vero:

geni-

genitum non factum conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos hominès & propter noſtrã ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, *Et HOMO FACTUS EST.* Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertiâ die ſecundùm Scripturas. Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et unam, ſanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones reliquasque ejusdem Eccleſiæ obſervationes & conſtitutiones, firmiſſimè admitto & amplector. Item ſacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem

tenuit

tenuit & tenet S. Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta novæ legis, à JEsu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis (licet non omnia singulis) necessaria: scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium, illaque gratiam conferre: Et ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, sine sacrilegio re. iterari non posse. Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorũ solemni administratione recipio & admitto. Omnia & singula, quæ de peccato Originali, & de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor pariter, in Missa offerri DEo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis & defun-

functis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter & substantialiter Corpus, & Sangvinem unà cum anima & divinitate Domini nostri Jesu Christi; fieriq́ue conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in Sangvinem: quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantùm specie, totum atq; integrumChristum,verumq́;Sacramentum sumi. Constanter teneo, Purgatorium esse, animasq́; ibi detentas, fidelium suffragijs juvari. Similiter & SS. unà cum Christo regnantes,venerandos atq; invocandos esse, eosq́ue orationes Deo pro nobis offerre, atq; eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum SS. habendas & retinendas esse, atq; eis debitum honorem ac venerationem impertiendã. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumq; usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. S. Cathol.& Apostolicam, Romanam Ecclesiã, omnium Eccle-

clesiarum Matrem & Magistram agnosco Romanoq; Pontifici, B. Petri Apostolorum Principis successori, ac JEsu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro. Cætera item omnia à sacris Canonibus & œcumenicis Concilijs, & præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita & declarata, indubitanter recipio atq; profiteor; simulq; contraria omnia, atq; hæreses quascunq; ab Ecclesia damnatas & rejectas & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor & veraciter teneo, eandem integram & immaculatam, usq; ad extremum vitæ spiritum, constantissimè, Deo adjuvante, retinere & confiteri: atque à meis subditis, seu illis, quorum cura ad me, in munere meo spectabit, teneri, doceri & prædicari, quantum in me erit, curaturũ. Ita ego N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. *In principio erat Verbum & Verbum erat apud DEum, & DEus erat Verbum*, Joan. 1.

FINIS.

Ad Sanctum Patronum
Oratio Cujus Nomen hab:

Ave ô gloriose N cui in Sacro Baptismatis fonte anima mea tibi commendata, et doce me, ut non solum nominis, verum et virtutum imitatione vestigijs tuis insistendo per tuam intercessionem vitam DEO gratam ducam, et in fine vitæ meæ sub nominis Tui protectione contra hostes animæ meæ victoriam reportare, et ad consortium æternæ felicitatis pervenire valeam. Amen.

Oratio
Pro Animarum salute devotè dicenda

Miserere Domine mi animabus quæ singulares apud te non habent intercessores, quibus consolatio non ...

non est in tormentis, neque spes
ulla, nisi quod ad imaginem,
et similitudinem Tuam creatæ
sunt, quæ antiquitate vel pauper:
tate, aut negligentia in oblivio:
nem Parentum, et servorum
tuorum traditæ sunt: quarum
primus, septimus, tricesimus, aut
anniversarius dies nunquam ce:
lebratur. Parce eis Domine et
defende plasma tuum, libera
eas â cruciatu et tormentis;
porrige eis dexteram tuam,
et perduc eas in locum refri:
gerij, lucis, et pacis, Per e:
um qui venturus est ju:
dicare vivos et mortu:
os, et sæculum per ignem
amen.

Aliæ orationes

Aliæ orationes pro Animabus Purgatorij.

Domine Jesu, rogo te per pretiosissimum sanguinem, quem sudans in horto effudisti; libera animas fidelium defunctorum è pœnis purgatorij; maxime verò animam desertissimam, et perduc eam ad locum gloriæ tuæ ut te laudet, benedicat, et prædicet in æternum. Amen.

Pater noster. Ave Maria

Domine Jesu, rogo te per pretiosissimum sanguinem, quem effudisti in flagellatione durissima, libera animas fidelium defunctorum è pœnis purgatorij; maxime verò animam liberationi proximam, et perduc eam ad locum gloriæ tuæ ut te laudet etc.

Pater noster Ave Maria.

Domine Jesu, rogo te per pretiosiss

sanguinem, quem tu effudisti in Spi:
nea coronatione tua, libera animas
fidelium defunctorum ê poenis
purgatorij; maxime verò animam
diutissimè cruciandam, et perduc
eam ad locum gloriæ tuæ, ut te laudet
benedicat et.

Pater noster Ave Maria.

Domine Jesu, rogo te per pretiosissimum
sanguinem quem effudisti in dira Cru:
cifixione tua, libera animas fide:
lium defunctorum, ê poenis purgatorij; ma
ximè verò animam meritis præce
dentem, et perduc eam ad locum glo:
riæ tuæ, ut te laudet et.

Pater noster Ave Maria.

Domine Jesu, rogo te per pretiosissi:
mum sanguinem quem effudisti
[illegible] tuo benedicto, libera ani:
mas fidelium defunctorum ê poe:
nis purgatorij; maximè verò Ani:
mam Matri tuæ chariorem, et
perduc eam ad locum gloriæ tu:
æ ut te laudet, benedicat et.

Pater noster Ave Maria.

Deus cujus miseratione animæ fidelium requiescunt. Famulis et famulabus tuis, et omnibus hic et ubiq[ue] in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, ut â cunctis reatibus absoluti, te- cum sine fine lætentur. Per Dnum nostrum etc.

Commendatio ad S. Angelum Custodem manè quotidie facienda

Beatissime mi Angele Custos, [illegible] quamvis tua sacra custodia in- dignissimus, impulsus tamen ex a charitate tua, et Zelo illo quem habes erga salutem an- mæ meæ, eligo Te hodie in præsen- a totius curiæ coelestis par- ticulari Protectore et advocato meo firmiterq[ue] propono te

ad mortem usque fideliter semper obedire. Obsecro te igitur per gloriam illam qua in coelo jam frueris, ut acceptes hoc propositum meum, et gratum habeas sincerum hunc affectum erga te meum, adsis mihi in omnibus cogitationibus, verbis, et operibus meis. ut purissimos oculos tuos nunquam [illegible]dam, neque Divinam Majestatem ad justam contra me iram [illegible]cendam. Adsis mihi semper [illegible] deseras me in hora mortis [illegible]. Amen.

Litania de S. Angelo Custode

Kyrie eleison. Christe eleison

Kyrie eleison

Christe

Christe audi nos
Christe exaudi nos
Pater de coelis Deus
Fili Redemptor mundi Deus
Spiritus Sancte Deus
Sancta Trinitas unus Deus.

Miserere nobis

Sancta Maria Regina Angelorum Ora.
Sancte Angele Custos meus ora pro nobis
S. Angele Princeps meus.
S. Angele Admonitor meus
Consultor meus
Tutor meus
Procurator meus
Amator meus
Consolator meus
Frater meus
Praeceptor meus
Pastor meus
Testis meus
Adjutor meus
Vigil meus
Negotiator meus
Intercessor meus
Susceptor meus
Gubernator meus.

Sancte Angele Praeses meus
Doctor meus
Conservator meus
Praedicator meus
Illuminator meus

Ora pro nobis

Agnus Dei qui tollis peccata mundi
Parce nobis Domine
Agnus etc. Exaudi nos Domine
Agnus Miserere nobis
Christe audi nos
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison etc.
Pater noster Ave Maria
Angelis suis Deus mandavit de te.
Ut custodiant te in omnibus vijs tuis
Domine exaudi orationem meam
Et clamor meus ad te veniat.
Oremus
Omnipotens sempiterne Deus
qui ineffabilis bonitatis tuae
[illegible] cunctis fidelibus ab utero
matris custodem corporis et

animæ specialem Angelum depu-
tasti: concede, ut quem mihi miseri-
corditer tribuisti, sic observem et
diligam, ut gratiæ tuæ munere il-
liusq; custodiæ munimine ~~protec~~
protectus, in cœlesti Patria vultum
gloriæ tuæ cum illo, et cæteris
Angelis merear contemplari.
Per Dominum nostrum etc.

Oratio
Sub Sacra Elevatione dicenda

Domine Deus meus obsecro te per
illam infinitam charitatem, qu[illegible]
es Ss Virginis Matris tuæ ute[illegible]
carnem nostram fragilem assum[illegible]
et homo mortalis fieri, et i[illegible]
Cœena Ss Corpus et Sanguinem [illegible]
tuum nobis in cibum et [illegible]
memoria relinquere dignatus [illegible]
et per infinitum valorem [illegible]
um Sacratissimi sanguinis [illegible]
Cruce et morte tua pro nobis [illegible]
abunde et misericorditer [illegible]
ut et nunc et in hora [illegible]
digneris clementissime [illegible] per

mus meus esse judex, defensor ab omnibus insidÿs Diaboli et gratificator in coelis. Amen.

Oratio

Quicunque sequentem orationem quotidie dixerit de S. Onuphrio tres proventus illi provenient.
1. Deus custodiet eum â Confusione mundana
2. Deus custodiet eum in fine suo â tentatione Diaboli.
3. Non morietur sine SS. Corporis Christi susceptione.
℣. Sancte Onuphri Confess: Dni pretiose adesto nostris precibus pius ac propitius
℟. Ora pro nobis Sancte Onuphri ut digni efficiamur promissioni. JEsu Christi.

Oremus

Omnipotens sempiterne DEus, ...orum æternus amator,

Sanctorum, qui Beatissimum
Onuphrium inter gloriosos Con:
fessorum choros velut sidus aure:
um prodire fecisti; ejus quaesumus
sacro interventu pium nobis
Benignus auditum praesta, et
nostrorum clementer absterge
multitudinem delictorum.
Per Dominum Nostrum etc.

Oratio
De S. Maria Magdalena.

O benignissime Jesu gratias tibi
ago pro illo pietatis opere, quod
B. Maria Magdalena tibi exhi
buit, quod è lachrymis pedes tuos
rigabat et capillis capitis sui ter
gebat eosque osculabatur et ungen
to ungebat, et quo tantam chari
tatis tuae abundantiam cordi ejus
mea infudisti; qd extra te nihil
posset diligere, rogans, ut dictae
meritis ejusdem lachrymas verae
poenitentiae mihi concedere, divi
numque amorem cordi meo infunde
di[illegible]

Hymnus

Gaude pia Magdalena
Spes salutis vitae vena
Lapsorum fiducia.
Gaude dulcis advocata
Poenitenti forma data
Miseris propitia.
Gaude felix Deo grata
Cui dimissa sunt peccata
Speciali gratia.
Gaude lotrix pedum Christi
A quo tanta meruisti
Amoris insignia.
Gaude primo digna fui
Visu Redemptoris tui
Surgentis in gloria.
Gaude quae septennis horis
Et ab antro vecta foris
Ad coeli fastigia.
Gaude quae sic sublimaris
Et cum Christo sociaris
In coelesti gloria
Fac nos hic sic poenitere
ut post mortem lucis verae
Sotiamur gaudia Amen.

##

℣ Dimissa sunt ei peccata multa.
℟ Quoniam dilexit multum.

Oremus

Deus qui B. Mariæ Magdalenæ pœnitentiam ita tibi placitam gratamque feres verum etiam cor ejus tanta consolationis dulcedine perlustrares, ut lachrymis pedes tuos irrigaret: da nos ita deflere peccata nostra et tu indulgentiam consequamur et in omnibus petitionibus nostris propitiationis tuæ abundantiam sentiamus. Qui vivis et regnas etc.

Oratio S. Elzeary Comitis pro Castitatis conservatione.

Domine Jesu Christe, qui es seminator Casti consilij, et cui cordium arcana patent scio, quia sine tuo speciali dono non possum caste et continenter vivere, quomodo idem nemo continens esse potest, nisi tu des: et idcirco rogo tuam gratiam, quæ omni humiliter petenti liberaliter te communicat

et carnis voluptates fugare, et
qd te inspirante in animo concepi
ad finem usqz complere et servare
possim, Deus qui habenti bonam
voluntatem, etiam facultatem
dare policitus es affectum mihi,
quaeso pudicitiae perseverantem
tribuas ut addat gratia gratiae,
et jugo contagionis excusso, susci:
piam jugum Sanctitatis ambu:
lemqz corde sincero coram te,
quo ad immarcescibilem tandem
percipiam in coelis coronam,
et cantem laudes bonitati tuae
in saecula. Amen.

Salutatio ad S. Josephum.

Salve Pater Salvatoris,
Salve Custos Redemptoris,
Joseph ter amabilis.
Salve sponse Matris Dei,
Salve hospes Jesu mei, Joseph

A

Joseph ter mirabilis.
O mi Joseph plus amande,
Et præ cunctis honorande.
O flos pudicitiæ,
Tibi tanta sors est data,
Quanta nulli est collata,
Ab authore gratiæ.
O felicem et Beatum,
Custodire cui est datum,
Tuo sub præsidio
Et qui meruit te habere,
Te Patronum, et gaudere
Tuo Patrocinio.
Per Mariæ tuæ matris
Preces et Josephi Patris.
Jesu tu nos adjuva.
Ut possimus te videre
Et æternum possidere
In cœlesti ~~Dei~~ Patria.
V. Valde honorandus et amandus
est B. Josephus
R. Inter cujus Brachia Dominus
recubuit
Oremus.

Omnipotens sempiterne DEUS, qui Beatum Josephum justum Filium David Beatæ Virginis Mariæ sponsum providisti, et filio tuo Jesu Christo nutritium elegisti, da quæsumus ut ejus precib9 et meritis tranquillâ pace lætemur, et ab omnibus insidÿs inimicorum nostrorum visibilium et invisibilium protegamur ac ad perpetuæ visionis tuæ consolationem perducamur. Per eundem Dñum etc.

Oratio Ad S. Catharinam.

Gaude Virgo Catharina,
Quam refecit lux Divina,
Ter quaternis noctibus.
Gaude quod tua Doctrina,
Philosophos â ruina,
Traxit et erroribus.

Gaude quia

Gaude quia meruisti,
Confortari voce Christi,
Post preces divinitus.
Gaude quia convertisti,
Sponsam Regis, et vidisti
Rotas fractas cælitus.
Gaude sertis coronata,
Et in Sinai venerata,
Olei stillamine.
Esto nobis advocata,
Apud Deum Virgo grata,
In nostro certamine. Amen.
℣ Ora pro nobis Sancta Virgo Cathari[na]
℟ Ut digni efficiamur gratia Divina
Oremus
Sancta Catharina Virgo benedicta
Regis æterni sponsa, Sapientia Phi-
losophorum, Eloquentia Oratorum
Ego N literarum et legis DEI
Studiosus, tam te in meis stud[iis]
quam in omnibus actionibus et
necessitatibus animæ et corporis
Patronam habere desidero, tuum
auxilium invoco, et adjuvamen
deposco, orans et obsecrans ut

preces.

preces tuas precib⁹ Dominæ ac
ter: maxime Magistræ meæ
Sanctæ Mariæ, S. Josephi, S.
Gregorij, S. Ambrosij, S. Augustini,
S. Hieronimi, S. Bernardi, S. Regi-
naldi, S. Michaelis. S. Antonij, S.
Francisci Xaverij, S. Onuphry, S.
Thomæ Aquinatis, S. Andreæ, S
Bobolæ. S. Joannis Nepomu:
ceni, S. Joachim. S. Annæ. S.
Mariæ Magdalenæ, S. Barbaræ,
S. Birgittæ. S. Elisabeth, S. Apolo:
niæ. S. Dorotheæ. jungas pro
me, et â sponso tuo Domino
ê DEO meo, mihi impetrare di:
gneris, omnia ea, quæ ad animæ
meæ salutem, et Studiorum
meorum felicitatem faciunt,
ut per illa in cognitione et
amore Dei proficere, ac
Ecclesiæ utilis esse
possim. Amen.

Ave Maria

~~Ave Maris stella vide folio~~

Ave Maris Stella etc.
vid fol 370

Hymnus
De Sancto Spiritu

Veni Sancte Spiritus et emitte
vid fol 243

Oremus

Deus qui corda vide fol 543.

Hymnus

Veni Creator Spiritus
vid fol 543.

Salutatio
Brevis B V MARIÆ.

Ave Maria ancilla SS. Trinitatis humillima

Ave M. Praeelecta DEI Patris sanctissi

Ave M Sponsa Spiritus S. amabilissima

Ave M Soror Angelorum pulcherrima

Ave M. Mater Domini Jesu Xti dignissima

Ave M Promissio Prophetarum desideratissima.

Ave M.

Ave M. Regina Patriarcharum glori:
osissima.
Ave M. Doctrix Apostolorum pruden:
tissima.
Ave M. Confortatrix Martyrum va
lidissima.
Ave M. fons et plenitudo Confes:
sorum suavissima.
Ave M. decus et corona Virginum
jucundissima
Ave M. salus et consolatrix vi:
vorum et mortuorum promptissima.
Neumm sis in omnibus tentationi:
bus, tribulationibus, necessitati:
bus, angustijs et infirmitatibus
meis, et maxime in hora mor
tis meæ, non desis mihi et
impetra mihi, omnium pec
catorum meorum veniam, cæ:
lestis Patriæ gloriam Amen.
Ave Sanctissima Maria, Mater
DEI, Regina cæli, porta Para:
dysi, Domina mundi; tu es
singularis Virgo pura, tu con:
cepisti.

cepisti Jesum sine peccato, tu peperisti Creatorem et Salvatorem Mundi. Ora pro nobis Jesum dilectum Filium tuum ut liberet nos ab omnibus malis. amen.

Oratio

O Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta. Fac ô benedicta per gratiam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, ut qui te mediante dignatus est fieri particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente participes nos faciat beatitudinis et gloriae suae, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia DEUS benedictus in saecula saeculorum. Amen.

Oratio

Oratio
Ad S. Joannem Baptistam.

Ant. Hic est præcursor dilectus, et lucerna lucens ante Dominum; Ipse est enim Joannes, qui viam Domini præparavit in eremo, sed et Agnum DEI demonstravit, et illustravit mentes hominum. De quo Salvator ait: Nullus major inter natos Mulierum Joanne Baptista.

℣. Elisabeth Zachariæ magnum virum genuit

℟. Joannem Baptistam præcursorem Domini.

Oremus.

Sancte Joannes Baptista, qui necdum natus, a necdum nato DEO infante visitatus, ad MARIÆ vocem in gaudio exultasti, Sanctificate in utero, Nate sine peccato ullo; ora pro me, ut in vitam Sanctam renascar æternitati

ternitatis. Magne et Sancte Præcur-
sor Christi, sis Ductor meus in
viam omnium virtutum, sis
Ductor in viam æternitatis.
Tu qui poenitentiam prædicabas
impetra mihi, ut anima mea
dignos poenitentiæ fructus quam
primum generet. Tu qui es
vox clamantis in deserto, alloque-
re efficaciter animam meam,
alloquere cor meum, corpus me-
um, omnes sensus meos, ut in
omnibus DEUM quærant,
ac super omnia ament. Amen

Septem Verba à Christo in Cruce prolata

1 Ave JESU qui mactaris,
Sed Tortorum deprecaris
Patrem culpæ parcere.
Prompte fac nos indulgere,
Nec vindictam exercere
Corde, verbis, opere 2 Ave.

2. Ave JESU, qui latroni
Poenitenti, summi boni
Promisisti gratiam.
Tali nos contritione,
Nunc, et mortis in agone
Fac mereri veniam.
3. Ave JESU, qui praesentem
Cruci Matrem, heu dolentem
Commendas Discipulo.
Pari nos tuere cura,
Per te constet mens secura,
Quovis in periculo.
4. Ave JESU, qui dixisti
Pater, qui me reliquisti
Tantis in supplicijs.
Ne nos linquas, ut ruamus
Semper tecum persistamus
Fortes in angustijs.
5. Ave JESU, qui testaris
Sitim, felle sed potaris
Tu, qui pascis omnia.
Fac aeterna

Fac æterna nos sitire,
Mundi, carnis fastidire
Fugitiva gaudia.

6 Ave JESU, consummasti
Jussa Patris, et donasti
Tua nobis merita.

Bene fac nos inchoare,
Sed et plene consummare
Tua beneplacita.

7. Ave JESU, qui sermonem
Morte claudens et agonem
Patri tradis animam.

O! mors tua nos emundet;
Vitam bonis fac fœcundet,
Mortem det tutissimam.

℣ Adoramus te Christe et benedicimus tibi.

℞ Quia per Sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

Oremus.

Dne JESU.

Dn̄e JESU Christe qui hora
diei sexta transfossis manibus
ac pedibus è crucis ligno pe:
pendisti, ijsdem clavis damna:
tionis nostræ chirographum
in patibulo confixisti: concede
animæ meæ; ut liberata à
servitute peccati has sanctissi:
mas plagas tuas tanquam insi:
gnia liberationis semper se:
ram in medio cordis mei.
Dn̄e JESU Christe Fili DEI
vivi, pone passionem, crucem
et mortem tuam, inter judicium
et animam meam, nunc et in
hora mortis meæ, et mihi
largiri digneris gratiam et
misericordiam, vivis et defun:
ctis requiem et veniam, Eccle:
siæ tuæ pacem et concordiam
et nobis peccatoribus vitam
et gloriam sempiternam. Qui

Qui vivis et regnas &c.

Exercitium Spirituale.

Adoro te Sanctissima Trinitas, Pater + et Filius + et Spiritus + Sanctus tres personæ unus et solus Deus.

Dejicio me in abyssum mei nihili sub conspectu Divinæ Majestatis tuæ

Credo firmissime, paratus mille vitas profundere in contestationem omnium eorum quæ nobis in Sacra scriptura revelasti et per veram Ecclesiam tuam credenda proposuisti.

Omnem spem meam in te colloco et quicquid possum habere boni sive Spiritualis sive corporalis et in hac et in altera vita, id totum desidero, spero, et volo solum consequi de tua manu Deus meus vita mea, et unica

Spes mea.
Consigno tibi hodie et in perpetu=um corpus, et animam meam, omnes potentias meas, memori=am, intellectum, voluntatem, et omnes sensus meos.
Protestor me non consentire, neque consensurum unquam, quantum in me est in ullam rem quæ fiat vel cum minima offensa tuæ Divinæ Majestatis.
Propono firmissime impendere omne cor meum, facultates, ac vires meas, ad servitium et gloriam tuam.
Paratus sum suscipere quascunque adversitates, quas mihi Paterna tua manus immiserit ad dan=dum gustum Beatissimo cordi tuo.

Vellem.

Vellem me totum, qualis quantus sum impendere, et procurare ut ab omnibus tibi serviat; atque omnes homines te glorificent, et ament DEUM Creatorem suum.
Gaudeo summè de tua æterna felicitate, et exulto de tua tam magna gloria in cælo et terra.
Gratias tibi ago infinitas, pro innumeris beneficiis, quæ mihi et toti mundo collata sunt, et in dies incessanter, â benignissima tua providentia conferentur.
Amo tuam infinitam Bonitatem propter se ipsam, ex toto affectu cordis et animæ meæ et vellem si possibile, amare eo amore, quo te amant Angeli et homines justi cum quorum amore conjungo imperfectis

simum amore meu

Offero Divinæ Majestati tuæ in unione meritorum passionis, vitæ, et mortis Christi, ex nunc pro semper omnia opera mea pretiosissimo sanguine JESU Redemptoris nostri lota et involuta.

Volo etiam omne illud quod possum offere in poenitentiam et satisfactionem meorum peccatorum.

DEUS meus cum tu sis infinite dignus omni amore, et servitio, siquidem tu es, qui es, doleo quantum possum, maxime de omnibus meis peccatis, illaque detestor supra omnia alia mala: peto

humillime

humillimè veniam, facioq; fir-
missimum propositum, nunquam
offendendi tuam bonitatem
in æternum.
In tua vulnera me projicio ô
JESU ibi me absconde, et defen-
de hodie, et semper, donec mi-
hi largiaris gratiam videndi
tui, et amandi te in æternum.
Amen.

Oratio

Ad Dnum JESUM Crucifixum

O Dne JESU Xte, per amari-
tudinem illius passionis,
quam sustinuisti in Xce, maxi-
mè in illa hora quando bene-
dicta anima tua egressa
est de sancto corpore tuo,
miserere animæ meæ, maxi-
mè in egressu suo. Amen.

Commendatio

Benignissime DEUS commen: do tibi Ecclesiam Catholi: cam, Regnum hoc ac locum, Commendo fideles omnes vivos atq; defunctos praeser: tim meos Parentes, Fra: tres, Sorores, Consangui: neos, Affines, Amicos, Be: nefactores et alios pro qui: bus orare teneor, et in par: ticulari N pro (quo, qua, qui: bus) tuam semper supplex deprecor Majestatem.

Oratio Ad S. ANNAM.

Ave gratia plena Dnūs tecum, tua gratia sit mecum, et benedicta

et benedicta tu in mulieri:
bus et benedicta sit S. ANNA
Mater tua, ex qua sine macula
et peccato processisti Virgo
MARIA ex te autem natus
est JESUS Christus Filius
DEI vivi Amen.

Oratio
Ad B. V. MARIAM.

Sancta MARIA Mater DEI
et Virgo ego N. te hodie in
Dnam, Patronam, et Advoca-
tam eligo firmiterque statuo
ac propono, me nunquam
te derelicturum, neque contra te
aliqd unqm dicturum aut
facturum, neque permissurum
ut â meis subditis aliquid
contra tuum honorem unqm

agatur. Obsecro te igitur suscipe me in servum perpetuum, adsis mihi in omnibus actionibus meis, nec me deseras in hora mortis meæ. Amen.

Sub tuum præsidium vid fol 385.

Salve Regina vid fol 350
Alma Redemptoris vid fol 351.
Ave Regina cælorum vid fol 349
Regina cæli vid fol 346.

Oratio

Ad Sanctam Barbaram pro felici morte.

O Sancta

O Sanctissima Virgo Barbara, quodcunque Sponsi tui viribus potes, mihi in mortis articulo, obsecro ut suppedites. Adjuva me miserum, ne in peccatis moriar! Effectum suum habeat tua intercessione primitùs à Christo tibi facta promissio, cum fidem ejus tuo sanguine consortares. Redeat in memoriam Sponso tuo Virgineus collo tuo exuberans Sanguis: recordetur ardentissimæ charitatis tuæ; nec animam à corpore exire permittat nisi confessione expiatam, et Sanctissimo Eucharistico Sacramento refectam. Amen.

Pro felici obitu et post fata in remedium a[illegible] Innocentis. P.P. 8v9

Quæ dicenda sunt ad majus
Altare ad lucrandas Indul.
pro felici Statu SS.mæ Matris
Ecclesiæ Psalmus cum his
orationibus.

Exaudiat te Dominus in
die Tribulationis protegat
te Nomen DEI. Jacob.
Mittat tibi auxilium de
Sancto, et de Sion tueatur te.
Memor sit omnis Sacrificii
tui, et holocaustum tuum
pingue fiat.
Tribuat tibi secundum cor

tuum, et omne consilium
tuum confirmet.
Loetabimur in salutare tuo,
et in nomine DEI nostri
magnificabimur.
Impleat Dominus omnes
petitiones tuas nunc cognovi,
quoniam salvum fecit Domi-
nus Christum suum.
Exaudiet illum de coelo
sancto suo, in potestatibus.
Salus dextera ejus.
Hi in curribus, et hi in equis
nos autem in nomine DEI
nostri invocabimus.
Ipsi obligati sunt et cecide-
runt, nos autem surreximus
et erecti sumus.

Domine Salvum fac Regem, et Exaudi nos in die qua invocaverimus te.
Kyrie Eleison, Christe Eleison Kyrie Eleison. Pater noster.

Oremus

℣ Pontifice Nostro Benedicto. ℞ Dnus conservet eum, et beatum faciat in terra, et non tradet eum in animam inimicorum ejus.

Pro Benefactoribus Nris.

Retribuere dignare Dne omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen

#
Oremus
Pro fidelibus defunctis
Requiem aeternam dona eis
Dne, et lux perpetua luceat eis,
Pro fratribus nostris absentibus
Salvos fac servos tuos,
Deus meus sperantes in te
Pro Congregatione Nostra
Memento Congregationis
tuae. Quam possedisti ab initio
Domine Exaudi orationem meam
et clamor meus ad te veniat,
Oremus
Ecclesiae tuae quaesumus Dne
preces placatus admitte, ut

ut destructis adversitatib9 et erroribg universis secura tibi serviet libertate.

D[eu]s omnium fidelium Pastor et Rector famulum tuum Benedictum, quem Pastorem Ecclesiae tuae voluisti, propitig respice, pro se quosumq verbo et exemplo quib9 praeest proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito, perveniat sempiternam.

Omnipotens sempiterne D[eu]s, qui vivorum dominaris simul et mortuorum etc.

D[omi]ne exaudi or[ati]onem meam et R.

O[mn]ipotens et misericors D[eu]s etc.

... fidelium ...

Hymnus ad S.tum ONUPHRIUM

Ave homo Cælicola
ONUPHRI Eremicola
Soli conjuncte numini
Notæ vix uni homini
Palma te Pr. cibat fructibus
Sed DEUS cæli dapibus
In pabulo vivifico
Obsequio Angelico
Promissas tibi gratias
Nos obtinere facias
Juva tuum in omnibus
Servum ONUPHRI casibus

Aspiratio ad eundem S.

ONUPHRI Santissime cultor deserti meritis ac virtutibus plene Domini Benedictione. Benedicta sit austeritas vitæ tua, morsque tua felicissima Angelorum concentibus celebrata, et Benedictus sit

DEus

DEUS per æterna Sæcula Qui te sua illustravit gratia et Spreto mundo Regniq; Persarum Solio ad Antra deserti Sub Angelo confugeres, ubi inter feras Angelicam vitam Sexagin: ta annis duxisti proq; Regalibus deliciis qua bis Hebdomada Santissimo Eucharistio epulo refici meruisti O. S. ONUPHRI dulcissime Patrone Succurre mihi in præsenti necessitate quam tibi præsento sicut te piis invocaturis promisisti. Amen.

Oratio ad S. Benedictum pro felici morte.

O Beate Pater gratia et Nomine a DEO Benedicte qui Angelicum tuum spiritum erectis ad coelum manibus tui Creatoris felicissime comendasti atque omnes qui

gloriosæ mortis tuæ et Cœlestium gaudiorum quotidie te admoniturum essent in supremâ mortis luctâ contra omnes inimicorum insidias strenue te defensurum promisisti, custodi me quoque gloriose Pater hodie et quotidie tua Sancta Benedictione à Benedicto nostro atque à tua et omnium Benedictorum Societate nullo malo valeam separari. per eundem Christum Dominum etc.

Orationes Ad Sanctum Patrem nostrum Romualdum.

Inclite confessor Christi Camaldulensium Pater et dux Romualde intercede pro nostra omniumque salute ut tuis adjuti precibus regna cœlestia consequamur.

Ora pro nobis S. Pater Romualde ut digni efficiamur promissionibus Xti.

Oremus.

DEus infirmitatis humanæ præsidium singulare nos famulos S. Romualdi patrocinio confidentes propitius respice et concede nos ita ejus —

intercessione et exemplo proficere
ut ab omni vitiorum contagio liberati
perpetua mentis et corporis sanitate
gaudeamus in terris et de ejusdem
societate perfrui mereamur in coelis.

Oratio

Inclite confessor Christi Camadulensium
Pater et dux Romualde sanctissime
tuae protectioni humiliter me comendo
et precor ut ab omnibus quae divinae
displicent majestati subtrahere me
digneris mihique compunctionis et
lachrimarum gratiam impetrare ut
salubriter defleam peccata mea
quibus toties Deum super omnia
amabilem ad vindictam provocavi
ut cum tandem completo vitae circulo
tecum in coelo laudare valeam donante
Domino nostro JESU Christo qui cum Patre et
[illegible] vivit etc.

Oratio
Ad S. Benedictum pro felici morte

Recordare sanctissime Pater
mihi gloriosae mortis tuae,

mihiq in extremo agone meo
Paternè succurre, Beatumq de
hac vita transitum impetra,